non disputaverit, nec disputavit, antequam eum ordo tetigit, nec poenam dedit infra scriptam, quando ordo eum tetigit, et illi injungere teneatur, in eadem congregatione, si praesens fuerit, quod tertia die Januarii proxime tunc futura, si celebris non fuerit, alias proxime sequenti non festiva, incipiat disputare de quolibet, & illam disputationem juxta morem consuetum continuet diligenter singulis magistris de facultate praesentibus in studio, quaestiones per tres vel quatuor dies ante initium suae disputationis in scripto, ut consvetum est, dirigendo; si vero magister senior absens fuerit sine rationabili causa, nec procuratorem idoneum unum magistrum in hujusmodi congregatione habuerit, qui nomine ipsius acceptet, sive assumat onus disputandi injunctum, ut praemittitur, sit condemnatus in poena quatuor florenorum bonorum facultati solvendorum, in certis terminis sub poenis infra scriptis, nisi prius in eodem ordine, antequam eum tetigerit ordo, disputasset, aut prius in eodem ordine poenam solvisset. Si vero magister talis senior praesens fuerit, acceptare teneatur ante solis occasum, sub poena jam praemissa, & si iste, qui senior praesens inventus fuerit, ante solis occasum non acceptaverit, ex tunc decanus ad proximum, sicut commode poterit, faciat novam congregationem ad idem, ut supra, & injungat seniori post illum, qui non acceptavit, sub eadem poena, & hujusmodi congregationes & injunctiones continuet, donec disputare volens habeatur. Si vero praesens magister vel

etiam absens in praemissis rebellis fuerit, contra talem procedatur, quod ex tunc infra sex dies proximos a tempore congregationis & hujusmodi injunctionis computandos, sit condemnatus ad duplum; quod si animo indurato in praemissis statuto non paruerit, infra alios sex dies proxime sequentes sit ab omnibus actibus facultatis publicis & privatis suspensus ipso facto: si vero nec tunc, quod absit, ad obedientiam reversus fuerit, a facultate artium lapsis sex diebus iterum proxime sequentibus sit exclusus, & decanus facultatis artium, qui pro tempore fuerit, talem exclusum faciat, exigente hoc ipsius inobedientia, per omnes scholas artium publicari. Insuper conclusum fuit et statutum, quod magistro disputanti de quolibet, debet de pecuniis facultatis procurari novum birretum, & par chirothecarum, & par caligarum nigri coloris, tanti pretii, quod pro omnibus istis media sexagena ad minus expendatur, et ista debent sibi prima die suae disputationis ex ordinatione decani per unum bidellum nomine facultatis publice ad cathedram praesentari.

QUINTA RUBRICA.

De electione et continuatine ordinariorum librorum, et exercitiorum, et extraordinariorum, et modo concurrendi in eisdem.

1.

De modo eligendi ordinarium.

Item anno Domini 1367. die 7. mensis Septembris in plena congregatione facultatis, magistri considerantes, quod non expediret quemlibet regentem incipere quemlibet librum quolibet tempore indifferenter, quia ex hoc scholares fierent multum discoli, non continuantes libros, scientes, quod iterum ab aliis cito incipientur, etiam quilibet voluit legere libros magis communes, ad quos crederet se habere plures audientes; et sic multi libri philosophiae & logicae principales praetermittebantur non lecti, etiam inter magistros fiebat rancor & invidia propter hoc, quod unus cum alio concurrebat in legendo eundem librum. Ad exclusionem omnium illorum malorum statuerunt, quod singulis annis in crastino sancti Lucae debeant incipi de novo lectiones ordinariae, & quod quilibet sic disponat de libris antiquis, ut antea finiantur. Si vero aliquis librum seu libros antiquos, sicut praedicitur, finire non valeret, hic eundem, vel eosdem, nisi sint de facultatis consensu, legere non praesumat. Debent quoque omnes libri Aristotelis una cum geometricalibus,

arithmeticalibus *), astronomicalibus & musicalibus secundum deliberationem magistrorum regentium, seu pro illo anno regere volentium inter illos distribui prima die Septembris taliter, quod omnes ordinarie, prout sequitur, finiantur, & quicunque magistrorum eadem die distributioni non interfuerit, vel habitu caruerit, locum amittat secundum senium ordinarium librum eligendi.

2.

De promisso magistri ordinarium recipientis.

Item 16. die mensis Dec. in plena magistrorum congregatione conclusum fuit & unanimiter statutum, quod quilibet magistrorum regentium tempore acceptationis ordinarii libri sui promittat decano, se velle suum ordinarium per se vel per alium resignare decano vel facultati, si, antequam eum terminaverit, contingat ipsum recedere, vel non posse continuare. Si vero aliquis magistrorum taliter sine resignatione recesserit, vel alium magistrum sine licentia decani vel facultatis ad continuandum suum ordinarium substituat, tunc magister non resignans, si fuerit praesens, tenetur solvere facultati unum florenum; si vero non fuerit praesens, tunc sine licentia continuans ordinarium non resignantis ad eandem poenam obligatur.

*) codex habet: a r i s m e t i c a l i b u s.

3.

Quod nullus ordinarium debet permutare.

Item in plena congregatione facultatis conclusum fuit, quod nullus magistrorum deberet ordinarium suum permutare in antea, sed deberet eum continuare secundum statutum facultatis sub poena sibi per facultatem injungenda.

4.

Antiqui libri ultra festum s. Galli non legantur.

Item quod nullus continuet librum aliquem ultra festum s. Galli, sed finiat, si potest, aut dimittat in aliquo certo loco libri, ne ordinarie pro tunc legentem in aliquo valeat impedire.

5.

Ordinarii non continuantur diebus festis.

Item in alia congregatione magistri statuerunt, ut nullus magistrorum suum ordinarium continuare deberet diebus festivis; quod si secus fecerit, deberet subire poenam dimidii floreni.

6.

Quod ordinarius magistri recedentis vacat facultati.

Item 21. die mensis Novembris conclusum fuit, si aliquis magister recederet ante natale Domini, & librum suum ordinarie electum decano facultatis non resignaret, propter hoc, quia haberet propositum statim post nativitatem Domini ad studium redeundi, quod talis liber deberet vacare facultati, & quod ante festum natalis Domini per

magistrum, qui eundem librum per sortem in facultate obtineret, deberet inchoari.

7.

De modo concurrendi in libros ordinarios.

Item anno Domini millesimo trecentesimo septuagesimo magistri facultatis artium conciliariter congregati considerantes, ex pluribus conciliis praehabitis, quod juxta priorem ordinationem distributionis ordinariorum librorum, & ordinariae lecturae non expediret facultati, quod quilibet librorum ordinariorum tantum per unum magistrum legeretur, sed potius competeret communi utilitati, ut fiat moderata concurrentia librorum & lectionum, & talem ordinem & moderationem unanimiter statuerunt, videlicet, quod antiqua & priore ordinatione per omnia servata, prout conscripta est, licitum sit cuilibet magistrorum cum alio concurrere per hunc modum, quod quilibet magister volens esse actu regens, juxta ordinationem antiquam, eligat sibi lecturam ordinariam, qua electa, si voluerit cum alio concurrere, petat sibi de hoc fieri convocationem, in qua convocatione promittat sub juramento facultati, tempore promotionis vel receptionis suae praestito, quod ordinarium suum velit fideliter continuare, nec propter concurrentiam in ordinario minus ullatenus laborare, aut etiam librum istum, in quo concurrerit, aliquatenus postponere sine speciali licentia facultatis, & ex tunc concurrentia, quam petierit, sibi concedatur, eo tamen salvo, quod tantum duo cum

tertio, scilicet ordinario concurrant, nec aliquis possit cum pluribus, quam duobus concurrere; in tali autem concursu ordinarius habebit locum eligendi horam & scholas, in qua hora nullus secum concurrentium legat, seu legere debet; in hac etiam concurrentia locus esse debet praeventioni, et etiam gratificationi facultatis, si plures quam duo concursum petierint ad eundem. Sed in decanatu magistri Mathiae Kerbelicz fuit hoc statutum de concurrentiis interpretatum, quod libri, qui non finirentur suis statutis terminis, sine petitionis concurrentia per alios magistros possent legi.

8.

De tempore concurrendi.

Item in alia congregatione fuit statutum & conclusum, quod nullus in antea deberet concurrere cum ordinarie legente, nisi post octavam epiphaniae, nec pro concurrentia facultati supplicare, neque intentionem suam concurrendi aliis publicare ante festum nativitatis Christi, quia propter hoc forte retraheret aliquos ab auditione ordinarii; si vero aliquis convinceretur in praedictis excessisse, concurrentia ante festum Georgii nullatenus sibi detur. Et in decanatu magistri Conradi de Wormacia omnibus supra scriptis statutis adjectum fuit, quod ante diem Innocentum nulla fiat congregatio super cujuscunque petitione pro concurrentia impetranda. Item quod volentes petere concurrentias in die Innocentum, aut quacunque alia die sequenti, praesentent nomina sua decano cum nominibus librorum ante diem, in qua congregatio fieri debet.

9.

Interpretatio statuti de concurrentiis.

Item de praeventione, quae in statuto exprimitur, decretum fuit, quod ista praeventio locum habeat circa facultatem, & non circa decanum, ita, quod, qui prius obtinet circa facultatem, sive senior fuerit, sive junior, locum teneat praeventionis. Item, quod si duo petierint concurrentiam ad librum eundem, & alter eorum infra octo dies post octavas epiphaniae non incepit, pro tunc salvum sit alteri petere concurrentiam, qui vult, in librum eundem.

10.

a. *Non debent legi secreta mulierum.*

Item primo die Julii fuit conclusum, quod a modo nulli simplici baccalario in artibus liceat legere libellum de secretis mulierum.

b. *Nullus legat infra disputationem ordinariam.*

Item statutum fuit in decanatu magistri Hermanni de Rauensperg, quod nullus baccalariorum aut magistrorum debeat exercere aliquem actum scholasticum legendo aut disputando infra disputationem ordinariam.

11.

De modo legendi in diebus festivis.

Item in plena congregatione facultatis fuit concorditer statutum, quod lectiones tam pro gradu baccalariatus, quam magisterii spectantes nullo

modo debeant continuari diebus festivis, sive in diebus non legibilibus in calendario expressis, & hi debent per bidellum proclamari. Item quod nec in eisdem diebus possit aliquis publice legere ante prandium; & si quis post prandium voluerit legere in diebus festivis in publico lectorio, potest quidem absque pastus requisitione legere & propter Deum. Item quod pronuntiatores nullo modo debeant pronuntiare in diebus festivis.

12.

Quod nisi duae lectiones legi et audiri debent pro forma.

Item in decanatu magistri Nicolai de Luthomisl in concilio facultatis conclusum fuit concorditer nullo contradicente, primo, quod quilibet magistrorum in futurum legat non plures lectiones, quam duas in libris spectantibus ad gradus, tam tempore hyemis, quam aestatis in diversis libris, & conformiter studens & audiens lectiones supra scriptas.

13.]

Quod libri legantur per tempora determinata in statutis.

Secundo, quod legat lectiones usque ad maximum tempus inclusive, quod est deputatum pro libris eisdem in statutis facultatis statim infra notatis.

14.

Quod dies inceptionis et finitionis librorum debent decano intimari.

Tertium, quod legens intimet diem, in qua

principiabit librum, & diem finis ejusdem pro tunc decano.

15.

Quod puncta non pronuntiantur.

Quartum, quod non pronuntiabuntur accurtata tam logicae, quam naturalis philosophiae, sub hac poena, quodsi magister transgressus fuerit omnia praedicta, & convictus fuerit, eo facto sit suspensus ad medium annum ab omnibus actibus tam publicis, quam privatis. Et si studens transgressus fuerit, pro illo tempore non admittatur ad gradum, & aeque bene tenebitur easdem lectiones reaudire.

16.

Libri requisiti pro ordinario diebus festivis non debent legi.

Item in plena congregatione conclusum & statutum fuit, quod nullus baccalarius, licentiatus, aut magister deberet legere diebus celebribus aliquem librum in logica, vel in philosophia naturali, vel morali simpliciter, nec aliquem librum in quadruvio, qui requiritur pro ordinario secundum dictamen facultatis.

17.

Nullus infra baccalariorum vel magistrorum disputationem debet legere (librum).

Nec legere debet aliquam lectionem infra disputationem baccalariorum aut magistrorum.

18.

De tempore librorum et pastus quantitate.

Item ao. Domini 1366. in adventu Dni. fuit statutum, ut scholares debeant pastum magistris, quorum audiunt lectiones, sub tali conditione, quod qui annuatim non habet expendere 12 fl., totaliter sit exemptus, dummodo ad hoc magistro, vel rectori suo faciat fidem. Pastum autem Parisiis aut alibi consuetum dari moderamus in hunc modum: de *metaphysica* 8 grossos per dimidium annum terminanda, de *physicorum* tantundem per tria quartalia terminanda, de *de coelo* 5 grossos per 4 menses, de *de generatione* 3 grossos per 2 menses, de *meteororum* *) 5 grossos sicut de *de coelo*; de *de anima* sicut *de generatione* per 3 menses, *de sensu et sensato* 2 grossos per mensem, *de memoria et reminiscentia* unum grossum per 2 septimanas, *de somno et vigilia* 2 grossos per 5 septimanas, *de longitudine et brevitate vitae* 1 grossum per 2 septimanas, *de vegetabilibus* 3 grossos per sex septimanas; alii taxentur secundum comparationem praedictorum. *Ethicorum* ut *physicorum* per 3 quartalia, *politicorum* ut *physicorum* per medium annum, *rhetorica* ut *physicorum* per 3 quartalia, *oeconomica* **) 1 grossum per tres septimanas, *Boetius de consolatione* 4 grossos per 4 menses, *vetus ars* 3 gross. per 4 menses, *priorum* 4 grossos per 4 menses, *po-*

---

*) Codex habet: methaurorum.

**) Codex habet: yconomica.

steriorum 3 gross. per tres menses, *topicorum Aristotelis* 4 grossos per 4 menses, *elenchorum* 2 gross. per 3 menses, *tractatus Petri Hispani* 2 gross. per 3 menses, *sphaera materialis*, 1 gross. per sex septimanas, *algorismus* 8 Hallenses per 3 septimanas, *theorica planetarum* 2 gross. per 6 septimanas, 6 *libri Euclidis* 8 grossos per *medium annum*, *almagestum Ptolomaei* 1 fl. per 1 annum, *almanachum* per medium annum 10 gross., *in grammatica Priscianus minor* 2 gross. per 2 menses, *de graecismo* 6 grossos per medium annum, *poetria nova* 2 gross. per 3 menses, *de labyrintho* 1 gross. per 6 septimanas, de *Boetio de disciplina scholarum* (*sic*) 1 grossum per mensem, de 2da *parte doctrinalis* 2 gross. Alii taxentur juxta comparationem praedictorum. Voluit ergo facultas, ut nullus postulando pastum taxam excedat praetaxatam.

Topica Boetii duos grossos per duos menses, et quid debet legi patet rubrica 5a statuto 40.

Item quod quilibet aliquem de dictis libris incipiens certo termino terminare debeat, prout circa quemlibet librum est expressum, nec ipse post receptionem pastus postponere praesumat; & si propter paucitatem audientium non posset continuare, pastum restituat secundum taxam partis lectae his, a quibus recepit; sed si ex legitima causa ipsum a lectionibus desistere oportebit, alium subrogabit ad eundem librum fideliter & utiliter terminando. Item quod quilibet scholaris, si post tertiam lectionem permanserit, ad pastum ejusdem libri erit obligatus, nisi ipsius auditionem propter recessum a studio, vel propter aegritudinem

continuare non posset, ratione cujus deberet excusari.

19.

Quod pastus potest colligi divisim de singulis libris partialibus.

Item ao. Domini 1367. conclusum fuit & statutum, quod pastus lectionum potest capi divisim de singulis libris partialibus proportionabiliter, tamen secundum taxam superius praenotatam.

20.

De poena minus recipientis de pastu, quam continetur in statutis.

Item postea conclusum fuit, quod nullus legentium debet minus capere de pastu librorum, quam in taxa librorum praescripta continetur, & si quis minus postulaverit, vel ex intentione minus receperit, ut per hoc alliciat sibi scholares, tenetur ad poenam unius flor. quem solvat facultati.

21.

De magistris, qui habent cum decano lectiones privatas indulgere, et literas sigillandas corrigere.

Ao. Dni. 1370 die 30. Decembris magistri facultatis artium conciliariter congregati, considerantes ex pluribus conciliis praehabitis, quod dispendiosum foret pro singulis lectionibus privatis indulgendis, ac etiam pro literis recognitionum graduum, vel etiam promotionum graduatorum vel scholarium tribuendis quolibet eventu congregationem communem facere omnium magistrorum, decreverunt unanimiter: quod pro hujusmodi negotiis quatuor

magistri actu regentes de quatuor nationibus ad decanum facultatis eligi debeant, qui vel major pars eorum cum decano possint hujusmodi lectiones privatas, quantum respicit facultatem, indulgere, et literas recognitionum & promotionum petitorias sub certis formis super his constitutis petentibus elargiri.

22.

De modo petendi pro hujusmodi literis.

Pro convocandis vero his quatuor magistris ad decanum statuerunt, ut quicunque magistrorum, baccalariorum, & scholarium indigentiam de praemissis habuerit, primo istam decano exponat, deinde decanus sibi terminum statuat, et illis 4 magistris terminum statutum insinuet; ipseque, pro quo talis convocatio fieri debet, per se ipsum roget illos magistros, & quemlibet singulariter ad praefinitum terminum convenire, vel excusationem si habeat vel habeant, propria manu rescribere ad decanum; & ex tunc decanus cum magistris advenientibus, vel majori parte ipsorum advenientium, vel si nullus advenerit, vel excusationem rescripserit, se solo negotium ipsum valeat effectualiter expedire, hoc adjecto, quod in proxima congregatione facultatis sequente decanus dicat & manifestet toti communitati, quibus magistris, baccalariis, aut scholaribus lectiones privatae indultae, aut literae hujusmodi sint concessae; electi quoque tales tam diu in hoc officio persistere debeant, quamdiu decanus, cui fuerunt coelecti.

23.

De formis bujusmodi literarum, quae in principio istius libri sunt annexae.

Et propter praescripta statutum fuit in alia congregatione et conclusum, quod in libro facultatis haberi debeant certae formae tam literarum testimonialium de gradibus magisterii, licentiaturae, & baccalariatus, quam etiam literarum recommendatoriarum & promotoriarum, quae formae, et non aliae, per decanum & alios quatuor magistros ad sigillandum hujusmodi literas secundum statutum praescriptum deputatos petentibus debent sigillari, et istae formae huic libro superius sunt inscriptae.

24.

De vacationum diebus in diebus canicularibus.

Ao. Dni. 1370. 13. die mensis Julii statutum fuit & conclusum in plena congregatione facultatatis, quod vacationes incipere deberent in crastino Margaritae & servari semper in futurum isto modo, quod quicunque magistrorum lectiones suas suspendere voluerit a festo Margaritae usque in crastinum Bartholomaei, poterit bene; quicunque vero legere vellet, ille posset legere usque ad festum s. Jacobi apostoli, et quod nullus magistrorum aliquid legere debeat a crastino Jacobi usque in crastinum beati Bartholomaei.

25.

Quod in vacationibus istis nullus magistrorum novas lectiones et exercitia audeat incipere.

Item omnibus magistris ad hoc convocatis in

plena congregatione facultatis artium statutum est, quod de cetero nullus magistrorum in & pro diebus vacationum novas lectiones & nova exercitia incipiat, sed antiqua exercitia possunt eisdem diebus continuari absque recuperatione exercitiorum antea neglectorum, statuto de lectionibus in suo robore simpliciter duraturo.

26.

Quod possunt capi pignora ab audientibus post tertiam lectionem.

Item conclusum fuit, quod quilibet magistrorum post tertiam lectionem vel quartam alicujus libri teneatur capere pignora, semel vel bis, vel quando & quotiens magis opportunum sibi videbitur, ab his, qui se de pastu nondum expediverunt, sub poena duorum flor. facultati solvendorum.

27.

Quis dicatur actu regens.

Item magistri in plena congregatione conciliariter congregati declaraverunt, statutum de regentia magistrorum ad petitionem unius magistri, scilicet, quod nullus dicatur actu regens in artibus, nisi qui legat ordinarium suum, dummodo poterit habere audientes; si vero venerit post distributionem ordinariorum, legat unum librum magistralem quemcunque publice et attente. Insuper quod velit ordinarie disputare in artibus per se, aut per alium magistrum seniorem eo, dum ordo tetigerit eum, et per bidellum universitatis sibi intimatur; et quod velit parere mandatis decani facultatis.

28.

De modo pronuntiandi accurtatas quaestiones.

Item magistri considerantes, quod vergebat in non modicum scandalum facultati, quod magistri quaestiones Buridani & aliorum magistrorum accurtabant, per januas intimando: tunc pronuntiabuntur quaestiones accurtatae Buridani; ideo statuerunt, ut nullus magistrorum de cetero praesumat quaestiones alterius magistri accurtare, nisi sibi adscribat, sic intimando: tunc pronuntiabuntur quaestiones illius, qui easdem collegit.

29.

De maximo et minimo tempore pro legendis libris requisito.

Item penultima die mensis Januarii conclusum fuit, quod libri pro forma graduum deberent finiri per modum, ut sequitur, ut quod pro quolibet libro fuerint conclusa duo tempora, scilicet unum, quod esset maximum, ultra quod non deberet legi, et aliud minimum, infra quod non deberet finiri; pro libro *physicorum*, similiter et *ethicorum*, tria quartalia; minimum, infra quod non, duo quartalia; pro *metaphysica*, similiter et *Euclide*, maximum, tria quartalia, minimum, infra quod non, quinque menses; pro *politicorum* maximum, tria quartalia, minimum, infra quod non, quatuor menses; pro *de coelo* maximum, quatuor menses, minimum, infra quod non, tres menses cum medio, et similiter de *meteororum*; pro *de generatione* duo menses ad maximum, minimum, infra quod non, septem septimanae; similiter pro *de anima*; pro

de *sensu et sensato* unus mensis ad maximum, minimum, infra quod non, tres septimanae; similiter pro *de sommo et vigilia,* similiter pro *arithmetica accurata,* similiter pro *musica Muri*; pro *theorica planetarum* sex septimanae ad maximum, quinque pro minimo, infra quod non; pro *perspectiva communi* 14 septimanae ad maximum, tres menses minimum, infra quod non; pro *sphaera* sicut pro *theorica planetarum*; pro *veteri arte* quatuor menses ad maximum, tres pro minimo, quod non infra, similiter de *priorum*; pro *posteriorum* tres menses ad maximum, 10 septimanae pro minimo, infra quod non; pro *topicorum Aristotelis* quatuor menses pro maximo, tres pro minimo, infra quod non; pro *elenchorum* tres menses pro maximo, et duo pro minimo, infra quod non; *tractatus Petri Hispani* pro maximo, tres menses, pro minimo, infra quod non, 10 septimanae; pro *oeconomica* *) tres septimanae pro maximo, duae cum dimidia pro minimo, infra quod non.

30.

De modo extorquendi pastum exercitiorum et lectionum.

Anno Domini 1379. de mense Septembri, die 17. facta plena congregatione magistrorum in artibus studii Pragensis, attenta utilitate legentium et studentium in eisdem, ex multis deliberationibus et consiliis maturis praehabitis unanimiter conclusum

*) Codex habet: Yconomica.

fuit et statutum, quod antiquis statutis de pastu exercitiorum in artibus, quibus studentes in tertio actu exercitii ad totum pastum medii anni obligantur, in suo vigore omnino permansuris, ipsi studentes; praefati de exercitiis in aestate, quae communiter incipiunt circa festum s. Georgii, medietatem totius pastus in festo s. Urbani, et reliquam medietatem in profesto nativitatis beatae Virginis solvere teneantur; de exercitiis vero in hyeme, quae communiter incipiunt circa festum s. Galli, primam medietatem totius pastus in profesto s. Martini, et medietatem reliquam in die s. Georgii *) similiter solvere teneantur, sub poena suspensionis ab omnibus actibus scholasticis publicis et privatis, lectionum vel exercitiorum pro quolibet praemissorum terminorum ipso facto, cujus suspensionis publicatio per rectorem, qui pro tempore fuerit, sub rectoratus sigillo ad januas fieri debet infra octo dies, postquam disputans vel exercitia tenens rectoris officium contra hujusmodi studentem invocabit; et si, quod absit, aliquis de studentibus praemissam suspensionem et ipsius publicationem minime curaverit: ex tunc rector contra talem juxta formam statutorum universitatis in subsidium juris procedet rigorose. Si vero extra praemissa tempora aliqui de magistris inceperint habere exercitia, vel breviori tempore, quam praemissum est, continuaverint, studentes ipsi juxta temporum comparationes ad consimiles terminos sub

*) Codex habet: Gregorii.

eisdem poenis pastum solvere teneantur. De lectionibus autem in eadem congregatione statutum fuit et conclusum, quod in tertia lectione quilibet magister legens teneatur facere conscribi suos audientes, qui etiam tunc juxta antiquum statutum ad totum pastum obligantur, et si aliqui tunc vel infra duos dies proxime sequentes pastum non solverint, a lectionibus illius totius libri quoad istum magistrum sint exclusi, et nihilominus eidem magistro pastum solvere teneantur, sub poenis circa pastum exercitiorum praenotatis. Et in pleniorem hujus statuti executionem nullus admittatur ad examen pro aliquo gradu in artibus, nisi libros, quos audivisse tenetur, & a quibus magistris audiverit, decano & examinatoribus praesentet in scripto, & examinetur, an pastum magistris suis solverit; & si compertum fuerit, quod aliquis magistro non solverit, talis magister habeat, si voluerit, potestatem plenariam ipsum, qui non solvit, impediendi, ne admittatur illa vice, contradictione aliorum magistrorum non obstante.

Item in eadem congregatione statutum fuit & conclusum, quod decanus facultatis artium congregare teneatur omnes magistros volentes legere vel exercitia tenere, semel in crastino s. Georgii, & semel in crastino s. Galli, sub tali tenore: Magister reverende! si volueritis isto medio anno legere & exercitia tenere, vel tantum alterum horum facere, veniatis ad congregationem facultatis ad audiendum statutum de extorquendo pastum

lectionum et exercitiorum, sub poena unius floreni; & si quis magistrorum de transgressione hujus statuti confessus vel convictus fuerit, teneatur medietatem pastus exercitiorum, si circa exercitia excesserit, & unum florenum, quotiens circa lectiones transgressus fuerit, solvere facultati artium supra dictae; & si de illa congregatione, de qua praemittitur, aliquis de magistris se absentaret, & postea statutum non servaret, ante omnia teneatur ad poenas praemissas, et de ulteriori poena sit in gratia facultatis.

31.

De quantitate pastus exercitiorum.

Item anno domini 1372. in die s. Aegidii fuit conclusum, quod quilibet magistrorum, qui disputaret in philosophia tam morali, quam naturali, pro tribus actibus in septimana a suis exercitantibus, duntaxat habentibus, non minus, quam unum florenum ad quartale anni pro suis susciperet laboribus, & cum hoc ipsis legendo solum unam lectionem gratis, quam in publico, si locum habere poterit, cum diligentia compleat.

32.

Item anno Domini 1393. die 27. mensis Maji facta plena congregatione magistrorum nullo contradicente conclusum fuit, quod quilibet magistrorum per medium annum disputans in logica Aristotelis singulis diebus disputabit per unam horam,

a quolibet exercitationem habente capere deberet mediam sexagenam grossorum.

33.

Quod disputans in philosophia debet etiam unum sophisma vel duo praedisputare.

Item Sabbato ante Michaelis conclusum erat in facultate, quod quilibet disputans in philosophia naturali ad minus deberet unum sophisma, vel duo ad majus disputare, et pro isto tantum debet dari sicut de exercitio totaliter philosophicali, et debet sophisma, vel sophismata ante quaestiones disputare. Item conclusum fuit, quod nullus magistrorum uno actu plures, quam tres quaestiones vel duas quaestiones cum uno vel duobus sophismatibus ad majus, ut praescriptum est, debeat disputare.

34.

Quod statutum de pensa exercitiorum obligat ad certam poenam pecuniariam, et non ad perjurium.

Item in die s. Lucae conclusum fuit, quod statutum de pensa exercitiorum non deberet obligare facientes contra ipsum ad poenam perjurii, sed ad pecuniariam poenam talem, quod qui excederet, cum requireretur in conscientia sua, numerum suorum exercitantium, et quantum cuilibet personae de vera taxa dimiserit, fateri deberet, & tunc pro qualibet persona tantam poenam solvere facultati deberet, quantam summam dimiserit de taxa, & ultra hoc unam sexagenam persolvat facultati.

35.

Quibus diebus non habentur exercitia.

Item praehabita matura deliberatione magistrorum in concilio facultatis congregatorum conclusum fuit, quod a modo diebus & vigiliis infra scriptis nullus magistrorum debeat tenere exercitia: in festivitatibus paschae, pentecostes, & nativitatis Domini, et quatuor diebus immediate sequentibus, et vigiliis earundem, ita tamen, quod in festo paschae tertia feria praecedente, ut tunc quilibet devotioni vacare possit, suspendatur; item in quatuor festis principalioribus b. Virginis, scilicet assumtionis, purificationis, nativitatis, & annuntiationis cum vigiliis earundem, item in festis circumcisionis, epiphaniae, ascensionis, Trinitatis, corporis Christi, Joannis Baptistae, Laurentii, Wenceslai, omnium Sanctorum, Palmarum, & in vigiliis eorundem. Item in quatuor festis principalium doctorum, s. Augustini, Gregorii, Hieronymi, & Ambrosii. Item in die conceptionis beatae Virginis, item omni die, qui in Praga celebratur, item in omnibus festivitatibus apostolorum & evangelistarum.

36.

Quantum pastum debent dare de exercitiis combursales alicujus magistri.

Item in vigilia circumcisionis statutum fuit de pensa exercitiorum quoad illos, qui ponunt bursas pro magistris, quod a modo de taxa expressa in sta-

tuto prius edito de pensa exercitiorum magister cuilibet suo combursali secum stanti, in exercitiis solum remittere debeat tertiam partem tam in exercitio philosophicali vel morali, quam logicali.

37.

De diversitate horarum pro exercitiis deputatarum.

Item in decanatu magistri Joannis Eliae 19. die mensis Octobris conclusum fuit ad probam, quod quilibet magister volens exercitia tenere, solum de vespere horis 22. & 23. exercitia teneat, & non aliis horis extra illas exercitia teneat, & quod quilibet magister per illum medium annum, si placet, diebus Sabbatis exercitia tenere potest, & si disputatio ordinaria in feriam sextam evenerit, ipso die exercitia teneri possunt, sic quod ter in septimana, in philosophia, et ter similiter in logica disputetur, & hoc statutum conclusum fuit solum ad probam per istum medium annum decanatus ejusdem magistri; sed in medio anno sequenti magistro Henrico de Ribbenicz existente decano facultatis artium conclusum fuit similiter ad probam, quod quilibet magister volens tenere exercitia, solum de vespere horis duabus proximis ante coenam in aestate 20. & 21. horis & in hyeme 22. & 23., prout praescriptum est, exercitia teneat tribus diebus in logica & tribus in philosophia, exercitio sophistriae excepto, quod omni die in aestate et in hyeme potest continuari, juxta formam inferius scriptam circa statutum de eodem in de-

canatu mag. Joannis Eliae, et quod cuilibet magistro seu baccalario solum liceat duo exercitia et non plura tenere.

38.

De modo disputandi in sophistria.

Item ao. Dni. 1387. die 21. mensis Octobris in plena congregatione facultatis matura prius deliberatione habita in decanatu magistri Joannis Eliae fuit concorditer conclusum et statutum, quod ter in anno exercitia in sophistria teneantur, videlicet tribus anni quartalibus, sic quod per unum quartale quodlibet exercitium continuetur, primum ab epiphania Domini usque ad festum paschae, omni die per unam horam, hora 19.; secundum a festo paschae usque ad festum s. Jacobi pro 2do quartali anni, et istud omni die hora 16. continuetur; tertium a festo s. Jacobi usque ad festum s. Galli omni die hora 17. continuetur; per quartum vero quartale anni nullus teneat exercitia in sophistria propter temporis illius quartalis brevitatem. Adjectum autem fuit, quod disputans in sophistria de vespere tantum unum exercitium teneat, vel in logica tantum, vel in philosophia tantum, tribus diebus, quibus sibi placuerit disputando, et quod de quolibet hujusmodi exercitio 12 grossi persolvantur.

39.

De horis exercitiorum tam in aestate, quam in hyeme.

Item in decanatu magistri Nicolai de Lutho-

misi conclusum fuit per majorem partem, quod non sint in antea exercitia post coenam, et in executionem illius fuit similiter conclusum, quod 20. et 21. horis in aestate non fiant lectiones in artibus ad finem, quod exercitia vespertina prius fieri consueta 22. hora, quae fuit hora post coenam, amplius fiant 20. et 21. horis ante coenam, ita quod 22. hora in aestate igitur sit hora coenae.

40.

De libris, qui diebus festivis possunt legi.

Item anno Dni. 1389. 29. mensis Maji conclusum fuit in pleno concilio facultatis nullo contradicente, quod in antea nullus magistrorum artium neque baccalariorum debet legere aliquem librum, neque quidquam declarare, praeterquam libros deputatos ad legendum diebus festivis, et fuerunt in pleno concilio facultatis hi infra scripti libri deputati ad legendum diebus festivis: In logica, liber *sex principiorum,* liber *dictionum Boetii,* similiter *topica Boetii,* et nullus aliorum librorum nec in *magnis,* neque in *parvis logicalibus,* neque *sophismata,* nec *quaestiones logicales* debent declarari diebus celebribus. In philosophia naturali hi libri non sunt legendi diebus festivis, videlicet liber *physicorum, de coelo et mundo, de generatione et corruptione, meteororum, de anima, de sensu et sensato, de somno et vigilia, summa naturalium;* sed omnes alii, dummodo non spectaverint ad gradum, possunt legi, sive sint Aristotelis, sive alte-

rius philosophi authentici, nec aliquae quaestiones naturales debent diebus festivis declarari. In philosophia morali liber *etbicorum*, *politicorum* et *oeconomicorum* non debent legi diebus festivis, sed omnia alia moralia tam Aristotelis, quam aliorum philosophorum authenticorum possunt legi diebus festivis. In quadruvio sex *libri Euclidis*, *aritbmetica*, *musica Muri*, *spbaera materialis*, *perspectiva communis*, *theorica planetarum*, *algorismus de integris*, *computus cyrometricalis*, non debent legi diebus festivis; sed omnes alii in quadruvio, dummodo non fuerint ad gradus deputati, possunt legi; et in poesi, quidquid placet; et omnia supradicta sunt intelligenda, tam pro pastu, quam sine pastu non debent legi; illa tamen conditione adjecta, quod si aliquis librorum legibilium diebus festivis esset ordinarius alicujus, quod tunc non liceret eundem legi diebus celebribus seu festivis.

41.

Item anno 1393. die 25. mensis Aprilis in plena congregatione magistrorum statutum fuit, quod nova exercitia circa festum s. Georgii et festum s. Galli in antea ante octavam diem post dicta festa non incipiantur, ne magistros et studentes per mutationes bursarum circa haec festa consuetas fieri oporteat in suis exercitiis impediri.

RUBRICA SEXTA.

1.

De modo consiliandi, et qui debeant interesse.

Item in plena congregatione universitatis praesente domino praeposito Rudnicensi vicecancellario studii Pragensis conclusum erat, quod amplius nullus magistrorum deberet interesse conciliis facultatis, nisi quintum annum sui magisterii attigisset, et regentiam suam per duos annos complevisset. Erat tamen adjectum, quod quando magistrandi vel baccalariandi admitti debeant ad gradum, vel quando petunt baccalarii licentiam recedendi, vel quando ordinarii distribui debeant, quod tunc omnes magistri debeant convocari et conciliis interesse.

2.

Quod aliquando concilio facultatis omnes magistri possunt interesse et hoc in magnis et arduis causis.

Item 22. die mensis Januarii facta desuper congregatione per majorem partem magistrorum tunc praesentium fuerat declaratum, quod decanus facultatis artium in causis arduis requisitus posset omnes magistros ejusdem facultatis generaliter congregare, et maxime, quando factum quemlibet eorum concerneret singillatim, non obstante statuto immediate praescripto, quo cautum est, quod ma-

gistri, qui quintum annum sui regiminis non attigerunt, concilio non deberent interesse; huic tamen declarationi multi non adhaeserunt; et hoc statutum erat in decanatu magistri Joannis de Hildensheim.

In decanatu magistri Joannis de Hildensheim nullo contradicente unanimiter conclusum fuit, quod decanus facultatis artium una cum duobus magistris sibi coadjunctis rectorem universitatis accederent, supplicantes, quatenus simplices magistros in artibus in colligendo voces magistrorum in concilio universitatis secundum senium magisterii in artibus audiat, ita quod junior magister in artibus ratione gradus baccalariatus, cujuscunque facultatis fuerit, vocem ante seniorem non dicat, quia facultati artium apparuit, quod hoc suppositis facultatis artium debeatur de jure, et quod ad hoc defendendum teneatur.

3.

De obedientia, quam faciunt decano noviter intrantes ad concilia.

Item in plena congregatione magistrorum, magistri conciliariter convocati concorditer statuerunt, quod quilibet existens in facultate artium, aut de novo intrans eandem faciat semel obedientiam decano et successoribus suis sub hac forma: Ego N. promitto bona fide vobis decano et vestris successoribus, qui pro tempore fuerint, in licitis et ho-

nestis obedire et servare statuta et statuenda, sic me Deus adjuvet suo spiritu *).

4.

Quando haec statuta debent legi.

Item in plena congregatione facultatis 23. die Aprilis conclusum fuit, quod omni anno semel in diebus vacationum legi debeant statuta in congregatione magistrorum, quae debet fieri sine poena propter magistros statuta ignorantes.

5.

Quod statuta specialiter regentes concernentia ab omnibus existentibus in concilio debent pertractari.

Item in plena congregatione facultatis artium et in decanatu mag. Wasmodi de Homberg conclusum erat, quod si aliqua essent statuta regentes solos concernentia, quod illa debeant ab omnibus existentibus in concilio amplius pertractari; hoc tamen conclusum erat cum protestatione, quia aliqui magistri contradixerunt; in qua congregatione praedictus magister pro tunc decanus protestabatur coram omnibus, quod talem conclusionem faceret, quia per majorem partem erat decretum, et quod per hoc nollet in aliquo regentiae derogare; sed quod talem conclusionem concluderet secundum consuetudinem facultatis prius observatam, secundum quam secundum pluralitatem vocum semper concludebatur.

---

*) Suo spiritu, serius additum pro: et sancta Dei evangelia, quod deletum est.

6.

Quod vox venientis ad concilia sine tabardo est invalida.

Item conclusum fuit, quod quicunque magistrorum ad concilium facultatis venerit sine habitu, vox sua est invalida ad interimendum vel contradicendum, nec poterit partem augere.

SEPTIMA RUBRICA.

1.

De libro facultatis et rotulo formando.

Item 20. die mensis Augusti fuit deliberatum per magistros et conclusum, quod deberet haberi libellus in scrinio facultatis, in quo habeantur nomina baccalariorum et magistrorum in artibus, et in eo omni anno inscribi deberent, ne ordo ipsorum in dubium vertatur.

2.

De expeditione rotuli.

Item in decanatu magistri Tiderici de Wolin in plena congregatione magistrorum de concilio conclusum fuit, quod facultas dare deberet ad rotulum pro magistris praesentibus, qui bursas solverunt, et regentiam suam compleverunt, et pro his, qui idem fecerunt, et in valde brevi recesserunt, spe et animo redeundi, et pro his, qui solverunt bursas, et propter brevitatem regentiam complere non potuerunt; item in examine existentes pro gra-

du magisterii, si bursas solverint, se esse ut magistros aut baccalarios exhibentes, tunc facultas solvet pro eisdem, uti pro magistris; item pauperes baccalarii rotulo inscribi debent, si postulaverint, promissuri solutionem duorum florenorum facultati, quam cito venerint ad fortunam pinguiorem, quorum nomina debent specialiter in libro notari cum promisso facto facultati. Item pro absentibus fidem faciant, qui faciunt eos scribi ad rotulum, ut faciant ea, ad quae ceteri obligantur. Et hoc statutum in decanatu mag. Mathiae de Legenicz interpretatum fuit, quod quilibet talis esset praesens, qui recessisset ad partes *), et non haberet ibi fixum statum, ut non resideret in beneficio, vel non regeret scholas, non obstante, quod etiam fuisset absens per medium annum vel annum, dummodo in conscientia sua diceret, quod semper habuisset animum redeundi, et quod res et libros suos a studio non deportasset, et pro tali facultas solvere debet. Si vero recessisset ante octo dies sumtis secum libris et vestibus, et animum manendi in partibus habuerit, absens reputetur. Item existentes in Praga non legentes ordinarium, nec disputantes ordinarie, nec concilia visitantes sunt absentes reputati.

*) Extra Pragam.

3.

Graduati in artibus non debent poni ad rotulum juristarum.

Item in decanatu magistri Mensonis conclusum erat, quod nullus graduatus de facultate artium debeat poni ad rotulum juristarum, nisi fuerit doctor in jure canonico; et postea conclusum fuit in decanatu mag. Erhardi, quod istud statutum deberet servari, sub poena privationis omnium commodorum facultatis et exclusione ab eadem.

OCTAVA RUBRICA.

1.

De fisco facultatis, et debitis extorquendis.

Item in plena congregatione facultatis deliberatum fuit et conclusum secunda die Martii, quod pecunia facultatis per receptores seu quoscunque alios expendi, distribui seu consumi non debeat, nisi in communi necessitate facultatis.

2.

De cista facultatis et seris et clavibus, et tempore impositionis pecuniarum ad eandem.

Item omnibus magistris actu regentibus in artibus congregatis videbatur expedire, ut facultas haberet cistam cum tribus seris, quarum claves habeat decanus cum collectoribus, quilibet eorum unam, et concludebatur cum hoc, quod quicunque a modo eligeretur in collectorem, in quolibet mense

deberet reponere pecuniam ad cistam eandem, praesente tamen decano, quae sibi praesentata foret in illo mense, et nihil ipsius converteret in usum suum, ut hucusque interdum contingebat, licet tempore computationis vel post tota solveretur.

3.

De loco baccalariorum in sacra theologia venientium cum cappis ad actus et concilia.

Item ao. quo supra, 8. die mensis Junii in plena congregatione facultatis statutum fuit et conclusum, quod baccalarii in sacra theologia ad actus et ad congregationes facultatis in cappis venientes suis super simplices magistros in artibus locum habere debent, infra tamen decanum facultatis, qui eis secundum statutum in praedictis actibus et congregationibus est praeferendus; venientes autem in tabardis inter alios magistros secundum senium habeant et non ultra.

NONA RUBRICA.

1.

De excessibus et poenis transgressorum. Exclusio Boleslai.

Item in decanatu mag. Nicolai Gubin, multis conciliis et tractatibus praehabitis, de concilio dni. vicecancellarii, mag. Boleslaus propter gravem et enormem iniquitatem, quae contra eum suspicabatur, vehementer et publice famabatur, scilicet, quod auxilia et consilia dederit ad jugulationem

episcopi ordinis praedicatorum, sicut etiam duo, qui quaestionati et torti fuerunt, legaliter super eum fatebantur, de libro facultatis fuit deletus, et a consortio magistrorum penitus exclusus et resectus.

2.

Item in decanatu mag. Jacobi de Bartinsteyn die 21. mensis Januarii in pleno concilio facultatis nullo contradicente statutum fuit et conclusum, quod de cetero nullus ad examen magistrandorum in artibus admitti deberet, nisi prius juraret, quod post promotionem sui ad gradum baccalariatus in artibus, in disputationibus magistrorum sexies, ter ordinarie, et ter extraordinarie ad quaestiones respondisset.

DECIMA RUBRICA.

1.

De exercitiis aestivalibus et hyemalibus et horis eorundem habendis.

Item in decanatu mag. Jacobi de Bartinsteyn die 3. mensis Februarii praehabita matura deliberatione magistrorum in concilio facultatis congregatorum conclusum erat, quod cuilibet magistrorum exercitia tenere volentium deberet esse salvum exercitia tenere omni die tam in philosophia, quam in logica, praeterquam in die Sabbati, qui pro disputationibus ordinariis et conciliis facultatis vacare debet; sic tamen, quod in philo-

sophia morali et naturali de vespere duabus horis, in aestate 20. et 21., et in hyeme 22. et 23. in logica autem ante prandium solum una hora, in aestate 10., quae prima diei reputatur, et in hyeme 14. exercitia teneantur; et quod horis pro exercitiis in sophistria deputatis, quibus magister, cui in sophistria disputare non placet, materias aliorum librorum, puta de coelo, de generatione, metaphysicae, et parvorum naturalium &c. disputare possit, nec alicui magistrorum illis horis legere liceat, neque aliquis extra illas in exercitiis disputare praesumat, nullusque plura exercitia in die teneat nisi duo.

2.

De conviviis licentiatorum.

Item in eadem congregatione conclusum fuit, quod singulis annis per licentiatos in artibus in die recommendationis eorum convivium hactenus fieri consuetum de cetero pro magistris duntaxat sit habendum, conclusione cum suis motivis de opposito in decanatu mag. Mathiae de Legnitz conclusa non obstante.

3.

De disputatione de quolibet.

Item in decanatu mag. Jacobi de Bartinsteyn die 3. mensis Februarii magistri in plena congregatione facultatis considerantes, quod juxta antiquum statutum disputationis de quolibet disputatio

praedicta raro vel nunquam haberetur, in hoc unanimiter consenserunt, quod dictum statutum moderari deberet isto modo, quod decanus facultatis artium, qui pro tempore fuerit, teneatur facere generalem omnium magistrorum congregationem, regentium et non regentium in facultate praedicta, Sabbato ad unam quindenam, sive mediate praecedente nativitatem s. Joannis Baptistae ad videndum, an aliquis vel aliqui se velit seu velint facultati ad disputandum de quolibet praesentare; et si unus se obtulerit, illum facultas acceptet; si autem plures, facultas eligat seniorem inter illos, qui si acceptaverit, se statim obliget sub poena duarum sexagenarum, quod isto anno disputare non ommittet; cui facultas det duas sexagenas cum aliis solitis in praedicto statuto nominatis. Si autem in dicta congregatione se nullus praesentare curaverit, ex tunc decanus sabbato proximo proxime nativitatem praecedente de novo congreget magistros sub poena et modo, sicut in praefato statuto continetur, in qua congregatione disputaturus de quolibet per magistros praesentes eligatur, et ille sic electus disputationis onus sub poena duarum sexagenarum assumere, et ad debitum finem perducere sit coactus, cui similiter facultas de salario, videlicet duarum sexagenarum, et aliis, ut praemittitur, providere teneatur.

4.

Moderatio statuti de exercitiis prius conclusi.

Item in decanatu mag. Henrici de Homberg 26. die mensis Aprilis facta plena congregatione facultatis sub hac forma: Magister reverende! sitis hora 18. in concilio ad declarandum quoddam dubium occurrens circa statutum de modo habendi exercitia noviter conclusum, sub poena duorum grossorum, et sicut diligitis bonum facultatis; conclusum fuit secundum majorem partem, quod in antea nulli magistrorum liceat habere exercitia de vespere in materiis disparatis sicut in *philosophicorum* *), et in *de anima*, et sicut in *ethicorum* et in *physicorum* etc. scilicet, quod quilibet magister volens in antea exercitia tenere de vespere ex statuto de modo habendi exercitia prius in decanatu mag. Jacobi de Bartenstein concluso, teneatur ad disputandum solum in una materia, qua finita, poterit in alia disputare consequenter.

5.

De horis exercitiorum.

Item in decanatu mag. Henrici de Homberg die 8. mensis Julii, facta congregatione magistrorum de consilio facultatis sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 17. in concilio facultatis ad videndum, utrum hora pro exercitiis de mane usque huc tenta, sit in horam im-

*) In codice: phicorum.

mediatam ante prandium immutanda sub poena duorum grossorum, et non contradicendi; conclusum fuit concorditer nullo contradicente, quod ista hora, quae usque huc fuit decima, in horam immediate ante prandium sit immutanda.

6.

Item in decanatu mag. Henrici de Homberg die 6. mensis Augusti in plena congregatione facultatis conclusum fuit concorditer, quod de cetero nulli magistrorum in et pro diebus vacationum liceat incipere novas repetitiones, sicut et hoc conclusum est prius de exercitiis et lectionibus.

7.

In decanatu mag. Przibislai de Yessenicz facta congregatione facultatis sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 14. in concilio facultatis artium ad tractandum finaliter de concordia facultatum, sub poena non contradicendi, et sicut diligitis bonum facultatis; in qua quidem congregatione omnes magistri consenserunt ad concordiam inter facultates dictandam per arbitros ad hoc deputatos, et hoc Martii 27. die.

8.

Concordia facultatum.

In rectoratu magistri Henrici de Bremis ao. Dni. 1392. die 28. mensis Martii facta convocatione universitatis in hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 19. in stuba facultatis

in concilio universitatis ad audiendum pronunciationem de concordia facta inter facultates sub poena non contradicendi. Ubi in plena congregatione magistrorum universitatis Stephanus juratus nuntius ad requisitionem praedicti domini rectoris fecit fidem, se omnes, quos evocare debuit, evocasse, relatione facta dominus rector surgens interrogavit omnes et singulos magistros sic convocatos, et ordinarie sedentes, utrum de alto et basso compromisissent in magistros sex certos per facultates deputatos, qui singulariter responderunt, quod sic, nullo penitus contradicente; quo facto magister Nicolaus Gubin ibidem personaliter constitutus arbiter, arbitrio suo et aliorum magistrorum suorum coarbitrorum consentientium ibidem nomine pronunciavit in scriptis per omnia in haec verba: Ego Nicolaus de Gubin s. theologiae professor, nomine meo, et nomine coarbitrorum meorum mihi de facultatibus aliis adjunctorum pronuntio, quod in universitate nostra Pragensi ordo infra scriptus in rotulis, in conciliis universitatis, processionibus et offertoriis, et ceteris actibus universitatis praedictae tam publice quam private amplius et in antea debeat observari. Rector, qui pro tempore fuerit, sit primus, deinde magistri in theologia, doctores juris canonici, deinde juris civilis, magistri in medicina, deinde decanus facultatis artium, deinde in theologia, in jure canonico, in legibus, et in medicina licentiati, deinde baccalarii formati in theologia, qui vadant in cappis in processionibus; si mandatum

fuerit in habitibus venire, veniant; deinde magistri in artibus secundum senium suum. Cursores vero in theologia, si sunt magistri in artibus, secundum senium magisterii in artibus habeant loca; si vero non sunt magistri in artibus, habeant praedicti cursores in theologia loca inter magistros in artibus secundum tempus, quo promoventur; si cursor prius promotus fuerit, quam magister, praecedat, si post, sequatur; deinde licentiati in artibus, deinde baccalarii aliarum facultatum habeant ordinem secundum ordinem suarum facultatum, hoc proviso, quod nullus intret concilium universitatis antedictae, nisi sit magister doctor alicujus facultatis antedictae. Ista ordinatio redigatur in statutum universitatis, et pro statuto habeatur, et teneatur sub poena 2000 fl. solvendorum, quorum medietas praedictorum florenorum veniat parti vel partibus servanti vel servantibus; alia vero medietas veniat pro universitate antedicta. Qua pronunciatione facta dominus rector requisivit omnes et singulos magistros praedictos, utrum pronunciationem ipsam velint approbare, qui ipsam mox approbaverunt et emologaverunt, ratamque et gratam habuerunt, prout in scripto publico super praemissa convocatione per Joannem notarium universitatis conscripto, cum ceteris munimentis universitatis reposito, plenius continetur.

9.

De quantitate pastus parvorum logicalium.

In decanatu mag. Stephani de Colonia, ao. Dni. 1392. die 19. mensis Novembris facta congregatione plena magistrorum sub tali forma: Reverende magister! sitis hodie hora 20. in stuba facultatis ad finaliter concludendum, quantum pastum magistri debent recipere pro exercitiis parvorum logicalium, sub poena non contradicendi.

Fuit ergo ibidem conclusum in eadem congregatione, quod exercitans in parvis logicalibus magistro, qui singulis diebus disputabilibus disputat, debeat persolvere unum flor. Ungaricalem vel 20 grossos.

10.

De juramento admittendi ad examen aut tentamen.

Ao. Dni. 1394. 3. die mensis Octobris, in decanatu mag. Helmoldi Gledenstede de Zoltwedel facta plena congregatione magistrorum concilii facultatis conclusum fuit et statutum, quod in antea quilibet admittendus ad tentamen vel examen pro gradu magisterii vel baccalariatus ante admissionem ejus ad tentamen vel examen tenebitur jurare se expedivisse, aut voluntatem magistri vel magistrorum obtinuisse ejus vel eorum, a quo vel a quibus lectiones audivit, vel pro exercitiis, quibus interfuit in parte vel in toto.

11.

Quos libros ex toto audire tenentur promovendi.

Item in eadem congregatione fuit statutum, quod de cetero quilibet volens studere pro forma magisterii aut baccalariatus tenebitur libros hos audire in libro vel libris sine fraude et sine dolo, libros infra scriptos videlicet: *veterem artem, priorum, posteriorum, elenchorum, physicorum* *), *sphaeram, de anima, de coelo, de generatione, meteororum, parva naturalia et metaphysica* sub poena, qua, si non audiverit aliquem eorum sic, tenebitur pro tunc decano facultatis, si est habens, medietatem pastus illius libri solvere indilate.

12.

Item in eadem congregatione fuit statutum, quod de cetero ante admissionem alicujus ad tentamen vel examen tenebitur in schedula scribere modum auditionis librorum, scilicet an omnes tales libros audiverit praenominatos; alios vero libros in statuto immediate antecedente non expressos, non tenebitur de jure in libris audire; sed si quispiam audiverit, examinatores pro tunc ad ejus promotionem debent magis esse inclinati, benevoli atque proni.

13.

Insuper in eadem congregatione fuit conclusum, quod quilibet decanus, qui pro tempore fue-

---

*) In codice: phorum.

rit, in decanatu suo in prima congregatione universitatis per dominum rectorem facta aut facienda tenebitur hos articulos et alios statum studentium facultatis artium concernentes promulgare et pronuntiare post exhortationem dni. rectoris, simulque exhortari ad ea honestatis opera, prout ipsi decano expediens et conveniens apparebit.

14.

De promissione recipientis ordinarium.

Ao. Dni. 1397. die 26. mensis Maji, in decanatu mag. Petri Posern facta plena congregatione facultatis sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 17. in concilio facultatis ad videndum, an conceptum quatuor magistrorum per facultatem deputatorum super quibusdam articulis relatum facultati sit finaliter concludendum totaliter vel in parte, sub poena praestiti juramenti et non contradicendi. Conclusum fuit in eadem congregatione multis consiliis maturis praehabitis secundum majorem partem, quod in antea quilibet magistrorum, qui voluerit in festo s. Aegidii librum ordinarium eligere, debet decano pro tunc promittere, quod velit illo anno, si Pragae fuerit, dolo et fraude postpositis, subterfugium non quaerendo, dum et quando ipsum ordo tetigerit, ordinarie disputare et in disputatione de quolibet in artibus respondere; quod si illo anno deliquerit sive ommiserit, ante omnia futuro anno electione et sorte ordinarii sit privatus.

15.

Quis eligendus examinator.

Item eodem anno 14. die mensis Julii facta plena congregatione facultatis sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 17. in concilio facultatis ad videndum, an alii articuli prius in alia congregatione propositi per quatuor magistros a facultate deputatos concepti finaliter sint concludendi totaliter, vel in parte, sub poena, sicut diligitis bonum facultatis, et non contradicendi. Conclusum tunc fuit in eadem congregatione secundum majorem partem, primo ille articulus, quod nullus debet eligi in examinatorem baccalariandorum, nisi ordine ipsum concernente sine fraude, si pro tunc infra muros Pragensis civitatis fuerit, responderit ipso anno in disputatione de quolibet et disputaverit ordinarie juxta statuta facultatis artium et promissa *).

16.

Accedendus vicecancellarius de examine magistrandorum.

Item in eadem congregatione conclusum fuit et statutum, quod tempore positionis examinatorum pro magistrandis quolibet anno decanus facultatis pro tunc existens cum quatuor magistris per facultatem deputatis et sibi adjunctis visitet vicecancel-

*) Serius add. Simile statutum vide fol. 88. pro ordinaria disputatione.

larium et petat, quod juxta tenorem bullae datae in erectionem universitatis non alios, nisi actu regentes in facultate artium, in praedictos examinatores eligat, atque locet *).

17.

Dispensatio de tribus tractatibus et uno libro partiali.

Item ao. Domini 1398. in decanatu mag. Petri de Grecz facta plena congregatione facultatis sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 19. in concilio facultatis ad videndum, an conceptum per quatuor magistros a facultate super quibusdam articulis deputatos sit finaliter concludendum sub poena praestiti juramenti, et poena non contradicendi; conclusum fuit nullo contradicente, quod decanus convocatis quatuor dispensatoribus lectionum in privato simul habeat auctoritatem cum eisdem dispensandi tantum cum tribus tractatibus, et uno libro partiali, et non ultra, quoad unum gradum, videlicet baccalariatus vel magisterii.

18.

Item in eadem congregatione fuit conclusum, quod venientes ab aliis universitatibus, in quibus audiverunt lectiones pro gradibus, debeant jurare, quod expediverunt magistros de pastu, vel voluntatem eorum obtinuerunt; et volens promoveri ad gradum baccalariatus debeat stare minime per me-

---

*) Serius add. Huc pertinere videtur et aliud statutum fol. 89.

dium annum hic in universitate, ad gradum autem magisterii minime per unum annum.

19.

De modis declarationum.

Anno Domini 1400. decima nona die mensis Junii in decanatu mag. Marquardi Kryneman facta plena congregatione magistrorum de consilio facultatis magistri considerantes, quod multae committerentur fraudes circa modum exercitiorum, lectionum, aut etiam declarationum; nam quidam habuerunt exercitia vel lectiones in privato praeter horas et materias determinatas pro exercitiis et lectionibus secundum statuta, ea vel eas declarationes nuncupando, ex quo videbantur scholares minus discere propter nimium laborem magistrorum minus debite pluralitatem materiarum disputandarum, legendarum, vel declarandarum conspicientium; et et am scholares pauperes a talibus declarationibus secludebantur, et per consequens gravabantur: haec et alia magistri advertentes nullo penitus contradicente concluserunt et unanimiter statuerunt, quod quicunque magistrorum seu baccalariorum declarationem habere voluerit, habeat eam, in quacunque materia sibi placuerit, quibuscunque horis, quocunque tempore, et quotienscunque voluerit, praeter tempus dispu ationis ordinariae, quocunque modo, sive disputative, sive per modum lectionis, vel utroque modo, aut modo meliori quo poterit, cum quatuor personis solummodo, quem numerum nullatenus ex-

cedat. Si vero quis numerum praedictum excesserit, plures quam quatuor habendo circa suam declarationem, tunc talis declaratio, lectio vel exercitium censeatur, ad quam vel ad quod magis accesserit; quae declaratio habeatur in materiis et in horis, et per omnia secundum modos statutorum de lectionibus et exercitiis expressos. Si autem quis, quod absit, his de facto contraveniret, aut circa praemissa quamcunque fraudem commiserit, talis ab omnibus actibus scholasticis public's et privatis per medium annum de facto sit suspensus. Item adjectum fuit his, quod talis declaratio, quae lectio censetur, nec declarantem a completione cursus biennalis relevet, imo audientem ab auditione librorum debita, et in statutis pro gradibus expressa nullatenus absolvat.

20.

De magistris, qui cum decano habent respicere, quod statuta facultatis firmiter observentur.

Item anno, quo supra, in decanatu ejusdem, die 28. mensis Augusti facta plena congregatione magistrorum de consilio facultatis ad audiendum relationem magistrorum per facultatem deputatorum super quibusdam defectibus reformandis pro observantia statutorum facultatis conclusum fuit concorditer nullo penitus contradicente, quod per amplius cuilibet decano, quam cito electus fuerit, in eadem congregatione adjungantur quatuor magistri de consilio facultatis actu regentes de quatuor nationibus,

qui teneantur cum decano pro posse suo respicere, quod statuta facultatis firmiter observentur, sic quod quilibet eorum, cum sibi constiterit aliquem transgressum fuisse statutum aliquod facultatis non abolitum, vel cum quis de transgressione talis statuti sibi accusatus fuerit, teneatur decanum requirere, ut hujusmodi transgressorem vel accusatum pro transgressione vocet ad praesentiam magistrorum quatuor dictorum decano adjunctorum; et si coram illis talis transgressionem confessus fuerit, aut de transgressione convictus, puniatur a decano in praesentia dictorum magistrorum secundum statuta; si vero nec confessus nec convictus fuerit, suscipiat decanus coram dictis magistris expurgationem sic accusati. Si vero quis decano in isto obedire noluerit, hunc decanus vocare teneatur ad plenam congregationem facultatis ad dicendum causam, quare puniri non debeat propter statuti transgressionem, et ad idem teneatur decanus, quando sibi ipsi constat de transgressore alicujus statuti, vel quando quis sibi tanquam transgressor accusatur.

21.

De promisso examinatorum.

Item anno eodem, die 18. mensis Septembris facta plena congregatione magistrorum de consilio facultatis ad tractandum ulterius de articulis per magistros deputatos a facultate prius propositis, & ad concludendum finaliter in eisdem, conclusum fuit & statutum secundum majorem partem, quod

in antea quilibet examinator ante examen in praesentia facultatis debeat expresse promittere decano, quod ipse attendendo bonum & honorem universitatis & facultatis artium velit fideliter examinare, & juste acceptare, & acceptatos digne locare, sic quod nec amore, nec odio personarum motus, nec precibus convictus, nec muneribus corruptus, nec alio quovis modo velit a justitia & bono facultatis praedictae scienter discedere in sua conscientia & bona fide.

22.

De modo extorquendi pastum via excommunicationis.

Item anno, quo supra, die 2. mensis Octobris facta plena congregatione magistrorum de consilio facultatis ad concludendum finaliter in articulis per magistros deputatos facultati propositis pro solutione pastus, conclusum & statutum fuit secundum majorem partem, quod praehabita rationabili moderatione pastus exercitiorum, prout magistris prius placuit in quadam alia congregatione, quilibet decanus facultatis artium futurus in principio sui decanatus teneatur ex parte facultatis dominum rectorem novum in principio sui rectoratus petere, quatenus mandet omnibus & singulis lectiones in artibus audientibus, aut in exercitiis stantibus, aut isto medio anno lectiones in artibus audire, aut in exercitiis stare volentibus, quatenus quilibet eorum infra lectiones vel exercitia magistro vel magistris, cujus vel quorum audit lectiones, aut interest exercitiis,

pastum solvat cum effectu infra lectiones vel exercitia, aut voluntatem ejus vel eorum obtineat sine fraude sub poena excommunicationis, et quod eodem medio anno in aestate circa festum nativitatis beatae Mariae Virginis, in hyeme vero in principio Jejunii decanus teneatur dominum rectorem tunc praesentem iterum petere sicut prius, ut in generali moneat omnes, qui audiunt, vel qui audiverunt lectiones in artibus isto medio anno, aut qui stant, vel steterunt isto medio anno in exercitiis, & non expediverunt magistrum vel magistros suos in pastu, nec voluntatem ejus vel eorum obtinuerunt, quatenus adhuc infra mensem proximum magistrum vel magistros, cui vel quibus tenentur in pastu lectionum vel exercitiorum, expediant aut voluntatem ejus vel eorum obtineant sub excommunicationis sententia contra tales proferenda; & post lapsum illius mensis decanus teneatur statim denuo petere dominum rectorem, ut in generali contra omnes & singulos, qui in pastu lectionum in artibus vel exercitiorum istius medii anni magistro aut magistris dictae facultatis adhuc se sciunt obligari, & non obtinuerunt voluntatem ipsius vel ipsorum, sententiam excommunicationis proferat, ac eosdem excommunicatos publice ante collegia denuntiet rectoratus sub sigillo. Insuper conclusum fuit & statutum, quod sicut ex prioribus quibusdam statutis super hoc specialiter editis & confectis, quilibet admittendus ad examen tenetur scribere & examinatoribus pro tunc libros, quos audivit, a quo, vel a qui-

bus, & quo tempore in scriptis praesentare; sic in antea tenebitur per amplius scribendo annectere, quibus interfuit exercitiis, & si pastum solverit de eisdem, & quantum de quolibet, & quo tempore; idem de lectionibus, quibus interfuit, quantum ad solutionem est censendum; & isti modi sunt ponendi ad probam, donec inveniantur per facultatem meliores.

23.

De non disputando in diebus Rogationum.

Anno Domini 1401. 25. die mensis Maji in decanatu magistri Erasmi Eliae de Nyssa facta plena congregatione magistrorum conclusum fuit & statutum nullo penitus contradicente, quod nullus magistrorum aut baccalariorum per amplius in diebus Rogationum exercitiis maturis *) continuet et exerceat.

24.

Promissio, quae debet fieri per decanum.

Item in eadem congregatione secundum majorem partem conclusum fuit & statutum, quod in antea quilibet decanus tempore electionis examinatorum baccalariandorum post receptum promissum examinatorum secundum formam statuti super hoc confecti expresse promittere debeat seniori magistro pro tunc in concilio facultatis residenti, & si rector universitatis prius fuerit, pro seniori habeatur, in forma consimili sine fraude.

*) Matutinis.

25.

De statuto legendo in distributione ordinariorum.

Anno Domini 1403. die 10. mensis Februarii in decanatu mag. Waltheri Harrasser facta convocatione magistrorum de facultate artium sub hoc tenore: Reverende magister! sitis hodie hora 20. in stuba facultatis ad videndum, an conceptum quatuor magistrorum per facultatem deputatorum super quibusdam articulis relatum facultati, sit finaliter concludendum in parte, vel in toto, sub poena praestiti juramenti & non contradicendi; conclusum fuit unanimiter nullo contradicente, quod in receptione ordinariorum &c. decanus facultatis, qui pro tunc fuerit, legat statutum in decanatu mag. Petri Posern super eadem materia conclusum (pag. 109.) alta & intelligibili voce, ut ejus tenor neminem verisimiliter latere possit de magistris; postea idem dominus decanus sedens in loco suo vocet singulos magistros praesentes secundum eorum senium, & summando statutum praeexpressum quaerat a quolibet in conscientia sua, si sic fecerit, sicut in illo statuto est expressatum, & quod occasione alicujus illorum se non absentaverit; qui dixerit, quod sic, ad electionem admittatur; si non, nisi alia causa rationabilis subsit, ipso facto ab electione sit exclusus.

26.

De poena contravenientium statuto: quod non legatur intra dies vacationum.

Anno Domini 1405. in decanatu mag. Grego-

rii Leonis de Praga facta convocatione magistrorum de facultate artium sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 17. in congregatione facultatis ad providendum, quomodo magistri sint puniendi, qui in diebus canicularibus legunt contra statutum facultatis, sub poena non contradicendi; conclusum fuit & statutum, quod de post & in antea, quicunque magistrorum legerit in diebus vacationum, signanter intra crastinum sancti Jacobi et crastinum Bartholomaei inclusive, suspendi debet ab omnibus actibus scholasticis per quartale unius anni; si vero altera vice excesserit, suspendatur per medium annum, & sic consequenter secundum exigentiam demeriti est puniendus.

27.

Quod nullus incipiat aut determinet diebus festivis ante prandium.

Anno Domini 1406. die 3. mensis Martii in decanatu mag. Michaelis de Malenycz facta congregatione magistrorum de concilio facultatis sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 19. in stuba facultatis ad tractandum, an expediat pro facultate, quod nullus incipiat aut determinet diebus Dominicis & festivis ante prandium, & ad concludendum super eodem, prout diligitis bonum facultatis, et sub poena non contradicendi; conclusum fuit & statutum, ut in antea & de cetero nullus incipiat aut determinet in artibus ante prandium die Dominico aut alio celebri, quo communis populus celebrat & festivat.

28.

Non legatur nec disputetur die Animarum.

Anno Domini 1408. in die conceptionis beatae Mariae Virginis conclusum fuit nullo contradicente in decanatu mag. Alberti Varentrappen de Monasterio, quod per amplius in die Animarum, quae communiter consuevit esse proxima die post festum omnium Sanctorum, ante prandium non legeretur neque disputaretur, & illud modo consueto sub decanatus sigillo publice ante ostium collegii intimaretur.

29.

Examinandos ad gradum baccalariatus schedulas primum offerre oportet.

Anno Domini 1465. die 25. mensis Septembris decanus facultatis artium et magistri reliqui proficiendae universitati diligentiam impendentes animadverterunt, quam discontinuate et intercise auditores lectionum ordinarie ad gradus spectantium studio intendissent, hunc defectum meliori vivendi ordine emendare cupientes, super hac re etiam ad plenum discutienda intimatione decani accepta, uniformiter concluserunt et statuerunt, ut omnes tentamen sive examen intrare volentes in primo introitu sive intitulatione schedulas, quibus auditae lectiones conscriptae fuerint, in omnium magistrorum consessu proferant, ut illius magistri, quem annotaverint, si ita integre audiverint, veluti scripserunt, testimonio confirmatio fiat. Nam pariformi-

ter ex antiquis intimationibus observari prioribus annis repertum est.

Istud statutum fuit publicatum et intimatum sub decanatus sigillo.

De disputatione baccalariorum.

Quia baccalariorum plerique, et praecipue scholas regentes, circa sui disputationes ordinarias Quadragesimales et reliquas saepenumero difficultabant, ejus, quod per biennium se disputaturos promiserint, occasionis asseverantes, se non amplius ad disputamina fore obstrictos, unde interpolatio fiebat disputationum et neglectus; proinde anno Domini 1471. die 26. mensis Octobris in plena magistrorum congregatione in decanatu mag. Gregorii Pragensis facta sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 17. in facultatis stuba ad interpretandum statutum circa disputationem baccalariorum sub poena, prout et honesto et commodo universitatis inservire debeatis. Statutum illud ita concorditer est interpretatum, quod dispensatio talis ad eos duntaxat extendatur, qui, posteaquam pro gradu responderint, vel examinati gradum baccalariatus arripuerint, mox abscedere tentabant. Conclusum itaque est in tali congregatione, quod a modo omnes et singuli baccalarii, quoad apud universitatem perduraverint, sive scholas rexerint, sive in bursis permanserint, omni occasione ademta se obtingentes neutiquam negligant disputationes, his tamen exemtis, qui se aliis negotiis

victitandi gratia, utpote arti scriptoriae, introligaturae librorum, et consimilibus contulere.

Disputationes publicas si quis ex baccalariis neglexerit.

*) Joannes de Rokyczano magister in artibus, rector almae universitatis studii Pragensis ex unanimi consensu magistrorum omnium praefatae universitatis

Mandat omnibus baccalariis et studentibus, quatenus lectiones textuales quoad auditionem librorum Aristotelis in promotionem eorum futuram sonantes fideliter secundum statuta facultatis artium ex integro audiant. Insuper exercitia quae ante prandium et coenas annis prioribus cura pervigili magistrorum observari consueverunt, ad argumenta et motiva eorundem et praecipue decani, cujus officii interest talia exercitia tenere, benevolos se offerentes publice respondeant. Ceterum disputationes ordinarias et extraordinarias annuatim currentes ad finem actus totius diligenter continuent et frequentent sub poena octo grossorum, si ter aliquis baccalariorum neglexerit, in statutis expressatorum. Quod si aliqui in bursis loca tenentes secus fecerint, per magistros, quibus bonum universitatis est commissum, modo tali castigentur, videlicet suspensione a mensa ad certos dies, aut etiam exclusione a locis, quae tenuerint, prout videbitur expediens fore et

*) Literae hae reperiuntur ante statutum 29. hujus rubricae.

utile pro bono universitatis. Qui autem sunt loca in bursis non habentes et sint secus, ut supra dicitur, facientes, talibus nec loca succedentia in bursis conferantur. Praesertim ergo et singulariter omnibus aliter quam, ut est expressatum supra, facientibus jure et privilegio statutorum praedicitur, quod tempore illo ad graduum altiorum susceptionem nullatenus admittentur, sed aeque bene tenebuntur lectiones easdem discontinuatas et exercitia praenotata totaliter reaudire, si promotionibus universitatis voluerint gaudere. Datum rectoratus sub sigillo.

Ista litera debet frequenter applicari publice, sicut aliae intimationes decani aut rectoris.

(Summarium statutorum).

ANNO CHRISTI 1528. 3a. FEBRUARII.

Cum multa in statutis antiquis reperiantur, quibus aetate nostra non utimur, fit, ut errore nonnunquam capiantur decani vel in inveniendis otiis necessariis, vel in ommittendis superfluis etiam per majores nostros abrogatis. Quare haec brevissima modernos decanos concernentia ex statutis antiquis prolixioribus collecta auxilio sint cupimus.

Principio de electione, officio, jurisdictione decani, quo pacto etiam debeat monere ven. magistros ad lectiones atque disputationes ordinarias continuandas, cum recte fol. 13. (pag. 37. sqq.) exprimatur, non videtur, cur hic depingatur.

Item decanus tenetur congregare magistros postridie s. Galli, similiter Georgii, admonereque pro lectionibus eligendis, disputationibusque continuandis fol. 25. (pag. 82.). De extraordinariis disputationibus quaternis fol. 18. (pag. 58.) scribitur; immutatum tamen est, proque octonaria disputatione terna hodie usurpatur.

Decani est die Veneris ante dominicam Invocavit publica intimatione cum sigillo evocare ad sequentem diem omnes baccalarios tam scholarum quam collegiorum, eosque cum dispensatoribus lectionum reverendis magistris de excessibus corrigere, ad vitae integritatem hortari; studentibus denique ac scholasticis bona exempla praebentes, juventutem ut erudiant, ad collegiaque promoveant. Olim

enim haec evocatio baccalariorum quater in anno celebrabatur, ut habetur fol. 14. (pag. 39). Etiam eo tempore debent illis legi statuta, in quae gradum assumentes juraverunt. Et praesertim ista duo, fol. 16. (pag. 48. 49). Item quilibet baccalarius ordine ipsum attingente in Quadragesima et diebus, quos caniculares dicimus, unum sophisma et unam quaestionem publice disputabit. Item quod bonum universitatis et facultatis procurabit ad quemcunque statum pervenerit.

De examine baccalariorum.

Cur non singulis annis sed alternis tantum aperiundum sit vide fol. 190.

Decanus ante quatuor Tempora, cum opportunum illi visum fuerit, facultatem evocabit, cumque ea de futuro examine aperiundo conferet; quod si consenserint, vel major pars, intimatione cum sigillo facultatis publicabit futurum certamen, diem et horam, qua se conspectibus magistrorum offerant, evocatis statuendo. In qua ostensione haec illis statuta legentur. Primum: Nullus ad examen baccalariatus admittatur, nisi libros gradum illum concernentes in universitate hac publice et complete audivisset, mediumque annum ad minus philosophiae operam dans in universitate contrivisset. Adde mores agrestes in hirco per beaniam, ut dicunt, reliquisset, quamvis in arbitrio reverendorum magistrornm relinquatur, dispensatioque fieri possit, ut, si quis libros nondum auditos promitteret post gradus assumtionem se accurate auditurum.

Beania etiam vel ante vel infra examen coram magistris absolvi potest; religiosi etiam possunt admitti huic certamini fol. 14. (pag. 43). Libri autem gradum baccalariatus antecedentes isti sunt: *Priscianus de syntaxi, Aristotelis vetus logica, priorum, posteriorum, elenchorum, physicorum quatuor libri priores, de anima, sphaera materialis, arithmetica, rhetorica* fol. 32. (pag. 108.) rubr. 10a. articulo 11. et fol. 16. (pag. 48.) rub. 2a. art. 12. Item quilibet, antequam admittatur ad tentamen, tenetur cartula descriptum tempus intitulationis suae ad matricam universitatis, tempus item principii et finis librorum, quos audiverat, magistrorum etiam, a quibus audiverat, nomina examinatoribus ostendere, item responsa ad quaestiones et sophismata.

Item post ostensionem quilibet examinandorum, vel omnes simul adibunt decanum aliosque ordine magistros professores interpretationum publicarum, pro librisque, quos ex supradictis audiverunt, mercedem, vel, ut dicitur, pastum statutis expressum alacriter (his tamen, a quibus audiverunt) solvent. Quod si cui eundem librum bis aut ter interpretatum audisse contigit, ultimo tantum interpreti solvere tenebitur. Pro aliis autem libris gradum baccalariatus spectantibus minime, nullus obligatur numerare. Adhuc magister, cui merces justa ab aliquo superciliose retineretur, poterit talem in medio, ut ajunt, cursu impedire, ne metam attingat, etiam aliorum magistrorum contradictione non obstante; ut etiam habetur fol. 25. (pag. 83). Item a tempore ostensionis

ad usque exitum certaminis, quilibet insigne non sub pallio, at in humeris deferat; aliter autem, vel absque insigni deprehensus duobus grossis albis per decanum privabitur.

Dispensatio, qui non audiverint omnes lib. fol. 122.
Electio examinatorum habetur fol. 88. (ser. add.)

Subscripta concernunt examinatores.

Facultas gratia illius ostensionis congregata debet admoneri per decanum pro deligendis quatuor magistris examinatoribus decano adjungendis, et hi electi mox facultati promittent, se velle, gratia honoris et boni universitatis fideliter examinare, juste examinandos suscipere, susceptos digne locare, amore, odio, precibus, muneribus longe alienatis, ut etiam fol. 33. (pag. 114.) habetur. Decanus quoque debet seniori promittere, fol. 34. (pag. 117).

Series examinis. Principio invocata divina ope, examinandi tempora [intitulationum et lectionum in cartulis seorsim omnes ostendent, ubi] in *ortbographia* probabuntur, errantesque castigabuntur.] Sequenti die tentamen in *grammatica* ordietur in hunc modum: Quilibet studentium unam horam respondendo sustinebit, ita tamen, ut decanus interrogationibus mediam partem horae, alii quatuor magistri disputationibus alteram partem horae conterant. In *logica veteri* similiter. In *nova* autem *logica*, in *pbysicis*, in libris *de anima* medietas horae uni dabitur, cujus partem unam decanus interrogando, alteram alii magistri disputando occupabunt. In *tractatulo* tandem *spbaerae* omnes ante prandium

absolvent responsa. Postero die epistolia una hora ab omnibus scripta hora altera examinatoribus offerentur etc.

De erectione aut sublimatione in baccalariatum.

Examinati eligent sibi magistrum, qui eos titulo baccalariatus donare posset, qui electus petere debet sibi facultatem congregari, qua congressa adibit magistros facultatis in pallio aut insigni cum examinatis, ac cupiet potestatem sibi dari eos titulo baccalariatus donandi aut determinandi. Quo absoluto rogabuntur examinati sub conscientia per decanum vel seniorem magistrum, an libros gradum baccalariatus spectantes audiverint, responsaque magistris et baccalariis ad sophismata et quaestiones dederint. Quodsi haec fecisse comperientur, a conspectu facultatis ad tempus cum magistro suo alienabuntur. In quorum absentia facultas deliberabit, an reperiantur aliqua impedimenta, quae possent aliquem a gradu hujusmodi retrahere, aut si quis singillatim habeat aliqua, quibus posset aliquem, ne promoveatur, impedire. Si autem nihil talium auditum fuerit, revocabitur magister cum examinatis, responsaque ei competentia a facultate dabuntur.

In hunc modum suscepti, quilibet illorum per decanum monitus pollicebitur articulos infra scriptos et alia statuenda gradum illum spectantia, inviolabiliter quod tenere velit.

Primum antequam titulo donabitur, recepto-

ribus facultatis 10 grossos albos dabit, magistro determinatori suo pro labore 38 gross. albos, servo facultatis 2 grossos Pragenses. At roganti gratia non denegatur. Item quod visitabit actus solemnes et disputationes magistrorum Pragae existens, tribus autem disputationibus ordinariis neglectis 3 grossos albos facultati dabit. Etiam debet audire aliquem magistrum ordinarie legentem saltim ter in septimana. Item quaestiones a magistris capiat sub poena 3 grossorum alborum, ut in statuto baccalariorum et studentium habetur. Item in Quadragesima aut diebus canicularibus, ut dicuntur, ordine ipsum attingente, unam quaestionem et unum sophisma disputet. Item istum gradum in nulla alia universitate reassumere audeat. Item bonum universitatis et facultatis artium procurabit, ad quemcumque statum devenerit. Et haec duo ultima statuta obligant ad perjurium, et ideo debent cuilibet publicari. fol. 16. (pag. 49. sqq).

De determinatione.

Magister debet proponere baccalariando sedenti cum aliis scholaribus unum sophisma, ad quod cum responsa dederit, non ultra magister in eum disputabit. Tandem pallio baccalariorum indutus, jubente servo facultatis, sedem baccalariorum ascendet, ubi quaestionem a magistro sibi propositam honeste determinabit. Et antequam titulo donabitur per pedellum monitus jurabit se tenere vel-

le statuta suprascripta et statuenda. Eo facto dabitur ei gradus, baccalariusque salutabitur.

In determinatione autem nullus baccalariandorum orationem suam aut, ut vulgo dicitur, positionem legat e carta aut libro; at pro honore suo et universitatis memoriae committere studeat. (p. 53.)

De examine magistrandorum habetur fol. 18. (pag. 56.) (Sed non hoc ad decanum).

Item horae prandiorum secundum antiquam consuetudinem ita ordinantur: Simonis 17a. Catharinae 18a. Innocentum 17a. Dorotheae 16a. Gregorii 15a. Tiburtii 14a. Philippi 13a. Urbani 12a. Petri et Pauli 13a. Papae Stephani 14a. Nativ. (scil. b. V.) Gorgonii (9. Sept.) 15a. Wencesl. Michael. 16a. Haec autem immutari possunt ad placitum magistrorum.

Item de diebus profestis, quando scilicet vel lectiones vel disputationes inhibentur, vide in calendario antiquo facultatis. De libro facultatis vide fol. 29. (pag. 96).

De receptione magistri aut baccalarii alterius facultatis aut universitatis 19. fol. (pag. 60). Exercitia publica non incipiantur infra octavam Galli vel Georgii, fol. 27. (pag. 92.) &c.

Notae sequentes codici inscriptae sunt folio ejus 1°. *pag. versa, quarum ultima valde obliterata est.*

In decanatu magistri Wenceslai . . . . . . *) sigillum decanatus argenteum est procuratum et ab aurifabro duabus vix sexagenis evictum et exsolutum pro illius duntaxat labore; argentum enim erat aliunde acquisitum.

Forma pronuntiationis baccalariandorum.

Reverende magister! sitis hodie hora 18. in stuba facultatis ad audiendum petitionem Joannis de Praga et Petri de FF. **) in artibus baccalariandorum cupientium sub reverendo magistro Joanne de Praga determinare, sub poena non contradicendi. *Detur omnibus.*

Nota. Collegium omnium sanctorum anno domini 1402. mutuo recepit a facultate artium octoginta sexagenas grossorum Bohemicalium, quas quidem sexagenas ego magister Henningus Boltenhaghen, decanus facultatis ejusdem, anno, ut supra, feria tertia post diem pentecostes juste numeratas tribui in manus magistri Blasii dicti Lupus praesentibus aliis ejusdem collegii magistris, videlicet: Alberto Ensch (Engelschalk), Nicolao Litomysl, doctoribus in theologia, et magistro Andrea de Broda, quas etiam sexagenas praescriptas magistri collegii praescripti solvere

---

*) Verisimiliter Wenceslai de Mirovecz.

**) Francfordis.

debebunt juxta formam literae in hoc confectae, in fisco facultatis repositae, quae quidem litera nullum per amplius lateat decanum, facultatis praescriptae; debent enim solvere singulis annis pro sex sexagenis in duobus terminis, sicut canit litera, in quibus terminis decanus facultatis praescriptae praedictas sex sexagenas a praenuntiato collegio debebit exigere usque ad extenuationem totius debiti supra praementionati.

Item recte, ut supra, collegium regis Wenceslai artium facultati obligatur in septuaginta sexagenas, quas numeratas ei tribuit magister Joannes Hussinecz tunc decanus antecessor meus immediate. Ego vero literam de hoc confectam fisco imposui facultatis, quae etiam non lateat ullum decanum, ut sciat, quando et quantum a praedicta facultate artium decanus quilibet exigere debebit.

Facultas artium obligatur nationi Bohemicae 15 sexagen. gross. quas imposuit fisco (pro ?) structura et tecto lectorii *) ordinariarum in decanatu magistri Procopii de Plzna anno Domini millesimo quadringentesimo XL. currente, in aestate mag. (?) Wenceslao Prachaticz dispensante libros **) juxta (?) literam (?) mag. Borottyn et Procopio de Plzna, praesentibus domino rectore Augustino a Glatouia et magistro Buzkone factam.

*) Fortassis lectionum.

**) Forsan lectiones.

Registrum ordinis graduatorum in artibus.

Vicerectoratus magistri Henrici de Embeg.

Nunc sequitur registrum ordinis graduatorum in artibus tam magistrorum, quam etiam licentiatorum, et baccalariorum promotorum, secundum eum ordinem, quem in antiquo libro facultatis habuerunt.

Anno Domini 1367. mag. Henrico de Nanexen, alias dicto de Embeck, canonico ecclesiae s. Petri Moguntinensis existente vicerectore studii universitatis Pragensis infra scripti fuerunt promoti, sicut sequuntur.

Anno eodem 21. die Februarii Wynaldus de Suecia et Laurentius de Frankfordis facti fuerunt baccalarii sub mag. Henrico de Oyta. I. Determinatio baccalariorum.*)

Item eodem anno 6. die Aprilis Bernardus Alstorp Saxo determinavit sub mag. Wylberno.

Item 21. die Aprilis mag. Petrus plebanus ecclesiae Lygnicensis mag. in artibus et baccalarius in medicinis receptus fuit ad consortium magistrorum et ad artium facultatem. I. Magister receptus in facultatem.

*) Notula haec et sequentes in margine extantes serius additae sunt ad objecta notatu digniora primo conspectui exhibenda.

Item 25. die Aprilis Petrus Swet de natione Saxonum, et Bertholdus de Lyuonia receperunt gradum baccalariatus a mag. Jenkone.

Item 27. die Aprilis Colomannus de Wyenna baccalarius Wyennensis intravit facultatem admissus ad baccalariatum, et dedit danda.

Item 28. die Aprilis Wernerus de Cruczeburg et Wolerus de Stadis facti sunt baccalarii sub mag. Henrico de Oyta.

Item eodem anno 4. die Maji Ulricus dictus Scherding de Wyenna factus est baccalarius sub mag. Henrico de Embeke.

I. Determinatio magistrorum.

Item eodem anno 9. die Maji dominus Emericus, praepositus de Vngaria, fuit magistratus sub mag. Ottone.

Item Gerardus de Berenhagen fuit magistratus 11. die Maji sub mag. Henrico de Oyta.

Item 12. die Maji Jo. de Franckfordis fuit magistratus sub mag. Hermanno de Wynterswig.

Item 13. die Maji fuit magistratus Turdo de Suecia sub mag. Henrico de Canbis.

Item eodem anno in die s. Jacobi Tydericus de Kungisberch factus fuit baccalarius sub mag. Ottone.

Item eodem die Joan. de Frankfordis et Henr. de Brunswig sub eodem mag. processerunt ad eundem gradum.

Item 3. die Augusti Swentoslaus de Swydomiria det. sub mag. Henrico de Embek.

Item 1. die Septembris Sanderus de Meppen

Westualus, et Guntherus dictus Bekstette de Mollhusen, et Bartholomaeus de Brandenburk dett. sub mag. Henrico de Embecke.

Item in die exaltationis sanctae Crucis Nicolaus Zelandrinus, Henricus de Bekheym et Simon dett. sub mag. Wyboldo.

Item 25. die Septembris Henricus Ropere de Rostok, et Bertholdus de AsselnPaderbornensis dioecesis, et Asswinus de Baru *) dett. sub mag. Wyboldo.

Item in die s. Michaelis processerunt ad baccalariatum Jacobus de Embrica, Joan. de Marienwerde, quibus bursae dimittebantur.

Item 17. die Octobris Petrus de Sandecz et Jacobus de Nurenberga dett. sub mag. Wylberno, et solverunt.

Item eodem anno sub mag. Fridmanno processit Jacobus dictus Aristoteles, dimittebantur sibi bursae.

Item sub eodem magistro eodem anno processit Christannus de Zittauia. d.

Item in festo sancti Martini sub mag. Fridmanno processit Andreas Radmir. d.

Item 14. die Novembris sub eodem magistro processerunt Ludovicus de Praga, et Martinus de Pylzena. dd. Primi ex Bohemis baccalarii.

Item eodem annoMatthaeus deCracouia fuit magistratus sub mag. Henrico deOyta 17.die Novembris.

Item eodem die sub magistro praedicto pro-

*) In codice Baru cum abbreviationis signo; forsan Barutho.

cesserunt ad baccalariatum Henricus de Stadis et Jacobus de Pechxa de Bochna. dd.

Item eodem anno 29. die Novembris sub mag. Dythero Nicolaus de Soltwedel processit ad baccalariatum. d.

Anno Domini 1368. promoti fuerunt subnotati ad gradus, ut sequitur:

Primo: 16. die Febr. Thomas de Pusylia det. sub mag. Henrico Embek. d.

Item 27. die Februarii Nicolaus Bauarus et Conradus Sulcow fuerunt magistrati sub mag. Henrico de Oyta, et Henricus de Aquis factus baccalarius sub eodem. dd.

Item 28. die Februarii Godefridus de Erclensia det. sub mag. Wylberno. d.

Item eodem anno det. Jo. de Prittin sub eodem. d.

Item eodem anno Gerardus Wysbeke de Osenbrug det. sub mag. Wytboldo. d.

Item feria secunda post dominicam Oculi in Quadragesima sub magistro Wylberno processerunt Jo. de Spyra et Conrad. de Bredescheyt. dd.

Item eodem die sub eodem magistro fuit magistratus Henricus Grünstede. d.

Item eodem anno in dominica Oculi processit Andreas de Brunna sub mag. Fridmanno. d.

Item in dominica proxima ante festum ascensionis Domini Jo. de Colonia et Jo. de Lympach et Menso facti sunt baccalarii sub mag. Dyethero. dd. praeter Mensonem, qui tenetur.

Item in vigilia s. Margaritae Jo. de Bisteruelt determinavit sub mag. Wylberno. d.

Item 11. die Julii sub. mag. Henrico de Oyta det. Jo. de Wratislauia. t.

Item penultima die Julii Gotscalcus de Northusen det. sub mag. Henrico de Embek. d.

Item 20. die Augusti dominus Joan. de Hollandria det. sub magistro Henrico de Oyta. d.

Item 3. die Septembris Franciscus Biceps det. sub mag. Fridmanno de Praga. d.

Item in die sancti Matthaei processerunt ad baccalariatum Joan. Rostok et Petrus de Lubisczicz sub mag. Wylberno. dd.

Item in die s. Michaelis processerunt ad baccalariatum Franciscus Rauensberg & Jo. de Hnordia sub mag. Henrico Embeck. dd.

Item die ultima Septembris processerunt sub mag. Henrico de Oyta Henningus Sallentyn & Rottherus de Osenbrughe et Jo. de Lemegow, dur (*dubitatur* ?) de solutione.

Item 1. die Octobris processerunt sub mag. Wylberno Brunardus de Grüningen et Bertholdus de Růtling & Thydericus de Wolyn. dd.

Primus Decanatus M. Henrici de Embeg.

Anno quo supra, scilicet 1368. 9. die mensis Octobris electus fuit primus decanus facultatis artium, magister Henricus de Nanexen, alias dictus de Embecke, canonicus ecclesiae s. Petri Mogun- I. Decanus.

tinensis secundum formam statutorum super electione decani editorum.

Et statim post anno eodem die 19. mensis Novembris electus fuit in decanum mag. Fridmannus, canonicus ecclesiae Pragensis, secundum statuta praemissa, in cujus officio promoti fuerunt ad gradus artium infra scripti.

Primo: in die beati Matthaei sub mag. Wylberno processit ad baccalariatum Jo. Luccow de Rostok. d.

Item 11. die Decembris determinavit Ludovicus de Arinstatt sub mag. Henrico Embek. d.

Item eodem die Jo. Westuali det. sub mag. Thordone. d.

I. Praesentatio. Item eodem anno in vigil. s. Wenceslai Theodoricus de Lucca, baccalarius Cracouiensis, per mag. H. de Oyta praesentatus. d.

Item 28. die Decembris det. sub mag. Tylmanno Tylmannus de Cassel. d.

Item eodem die det. Magnus de Lubeke & Arnoldus de Myndin sub mag. C. Zoltowe. dd.

Item ultima die Decembris det. Christophorus de Sueuia sub mag. Nicolao Zelandrino. d.

Crucifer determinavit. Item anno Domini 1369. 11. die mensis Januarii dett. dominus Petrus de Straconicz crucifer ordinis sancti Joannis et Jo. de Frysia dictus Styllincolch sub mag. Joanne de Hollandria. dd.

Item eodem anno 25. die Januarii Jo. de Persin & Jo. Albus dett. sub mag. Henrico Embek. dd.

Item eodem die dett. Conradus de Nouo-foro et Jo. Dyrzpurk sub mag. Henrico de Oyta. dd.

Item 28. die Jan. sub mag. Thordone det. Jo. de Hagl. d.

Item 28. die Januarii N. Gubyn & Henricus Nassawer dett. sub mag. H. Woleri. dd.

Item ultima die Januarii Rensco Ssellendorff, & Rensco Domans, & Wasmodus dett. sub eodem magistro. dd.

Item in die purificationis beatae Virginis det. Henricus de Omstatt sub mag. Thordone. d.

Item 11. die Februarii det. Heningus de Tangermundis sub mag. C. Zoltowe. d.

Item 19. die Februarii det. Jo. de Toran sub mag. Henrico de Embek. d.

Item 20. die mensis ejusdem dett. Jacobus Wegner & Henricus de Nurenberg sub mag. Henrico de Oyta. dd.

Item 4. die Aprilis incepit mag. Joan. Marienwerder sub mag. Henrico de Oyta. d. & primus (?) habetur, qui solvit complete. I. Inceptio.

Item die 4. Martii incepit Henricus Franco sub mag. Fridmanno de Praga. d.

Item eodem die incepit mag. Henricus de Embrica sub mag. Wygboldo. d.

Decanatus magistri Henrici Woleri.

Anno Domini 1369. 22. die Aprilis ego Henricus Woleri alias dictus de Nouo-ponte fui electus in decanum facultatis secundum formam prius enarratam, et tempore officii mei promovebantur infra scripti:

Primo: eodem anno 26. die Aprilis det. Thomas de Praga sub mag. Jenkone. d.

Item eodem anno die 28. Aprilis incepit mag. H. dictus Pape de Oyta sub mag. H. Embek. t.

Item 29. die Aprilis dett. Gerardus Gröning, Nicolaus Ztertil de Heyligenbiel, Syfridus deNorlingen, Baldewinus de Zelinga & Jo. de Loubingen sub mag. Tordone. dd.

Item 29. die Maji sub mag. Henrico de Embek incepit mag. Thomas de Pusylia, d.

Item Wynandus Lewenstheyden incepit sub mag. Henrico de Embeck 7. die Junii. d.

Decanatus mag. Joannis de Hollandria.

Anno Domini 1369. 7. die Junii ego Jo. deHollandria natus de Monickedam fui electus in decanum facultatis secundum formam supra scriptam, et juravi &c. et pro tempore mei decanatus promovebantur isti:

Primo: 19. die Junii sub me dett. Henricus de Cassel, d. & Blasius Lupus, qui tenetur.

Item 29. die Julii det. Jenko de Clometis sub mag. Fridmanno. d.

Item 19. die Augusti det. Jo. de Bichom sub mag. Wylberno. d.

Item 4. die Septembris det. Jo. de Frysia dictus de Eedelse sub mag. H. de Embek. d.

Item 23. die mensis ejusdem det. Ladislaus Ungarus de partibus Transsilvanis sub mag. N. de Zelandria. d.

Item eodem anno sub mag. Thordone processit ad baccalariatum Jo. Liber de Nurenberga. d.

Decanatus mag. Nicolai de Gewiczka.

Anno Domini 1369. 12. die Octobris ego Nicolaus de Gewiczka alias dictus de Moravia Olomicensis dioecesis fui electus in decanum facultatis secundum modum et statutum de electione decani superius positum, et juravi recepta promissione obedientiae a magistris secundum consuetudinem hactenus observatam, et statim post in die s. Galli electi fuerunt in examinatores baccalariandorum mag. Fridmannus de Praga & mag. Wylbernus, et in decanatu meo promovebantur subnotati:

I. Examinatores baccalariorum.

Primo: 27. die mensis Octobris praedicti det. Erhardus de Nurenberga sub mag. Henr. de Embeck. d.

Item 15. die Novembris Rosalus de Cuyauia det. sub mag. H. de Stadis. d.

Item 18. die Januarii sub mag. Hermanno de Rauensperg processerunt ad baccalariatum Brumo & Bertholdus de Osenbrughe. dd.

Item 2. die Decembris sub mag. Fridmanno Jaroslaus de Jabloncz det. d. & Nic. de Sacz. qui t.

Item 8. die Decembris sub mag. Wylberno dett. Jo. de Camp, Dyetricus de Nouemagio. dd.

Item anno Domini 1370. 24. die Februarii sub mag. Henrico Voleri det. Jo. Munden. t.

Item 23. die Februarii sub mag. Henrico de Stadis det. Conradus Beneschowe. t.

Item 24. die Februarii sub mag. Henrico Voleri det. Jo. de Nova-civitate. d.

Item 19. die Martii sub mag. Hermanno de Rauensperg det. Jo. Batham natus de Rebelnichusen. d.

Item 17. die Januarii sub mag. Henrico Wolleri dett. Jo. de Homberg, Jo. Rynensis & Emericus de Andernaco. dd.

Item 19. die mensis ejusdem Jo. Preden processit sub mag. Henrico de Stadis. d.

Item 21. die mensis ejusdem Hermannus Roghenspylrer det. sub mag. Jo. de Hollandria. d.

Item 17. die Februarii Jo. de Munden, Mathias de Borch, & Jo. de Moguncia processerunt sub mag. Henrico Wolleri; primi duo tt.

Item 24. die Februarii sub mag. Jo. Francfordis Nic. de Nycza determinavit. d.

Item 25. die Februarii Rocho et Henricus Bohemi processerunt ad baccalariatum sub mag. Fridmanno. dd.

Item 20. die Martii Henricus Thuris *) processit ad baccalariatum sub mag. H. Wolleri. t.

Item ultima die Martii sub mag. H. Wolleri Jo. & Syfridus de Lubek processerunt. dd.

Item post festum paschae anno praedicto processerunt ad gradum magisterii in artibus Gerardus de Osenbrughe dictus Wysbeke, & Růtgerus de Lyppia sub mag. H. de Oyta, qui solverunt.

Decanatus mag. Hermanni de Rauensberg.

Anno Domini 1370. 21. die mensis Aprilis ego Hermannus de Rauensperg alias dictus Strůne, natus de Westualia, electus in decanum facultatis artium secundum formam superius scriptam, juravi modo, quo alii praedecessores mei juraverunt, et prout

*) Forsan Thuringus.

canit statutum superius scriptum de juramento &c. et in decanatu meo processerunt isti :

Primo: anno, quo supra, 23. die Aprilis processerunt ad gradum magisterii sub mag. Herm. Winterswich, Gotfridus de Erklens & Henr. de Aquis. dd.

Item eodem anno receptus fuit Nicol. Osterhusen pro baccalario in artibus, qui Cracouiae erat promotus. t. I. Receptio baccalarii Cracouiensis.

Item eodem anno in mense Aprili processerunt ad gradum magisterii sub mag. Fridmanno Ludovicus de Praga & N. de Görlicz. dd.

Item eodem mense sub mag. Fridmanno Henricus Umstatt & Franciscus frater magistri Nicolai de Moravia. dd.

Item post festum Georgii sub mag. Jo. Francfordis processit ad baccalariatum Philippus de Grees. d.

Item 12. die Maji incepit in artibus Franciscus de Rauensperg sub mag. H. Embek. d.

Item in vigilia pentecostes electi erant in examinatores baccalariandorum mag. H. de Stadis, mag. Jo. de Dryska, et mag. Thomas de Pusylia eodem anno. Examinatores tres.

Item eodem anno, dominica post Viti sub mag. Joanne Frankfordis processit ad baccalariatum Arnoldus de Aquis, canonicus Aquensis. d.

Anno Domini 1412. post disputationem de quolibet, quam fecit mag. Michael de Malenicz, sede archiepiscopali Pragensi vacante, fuerunt deputati per venerabilem virum dominum Sulkonem, artium et medicinae doctorem, pro tunc cancellarium universitatis studii Pragensis, pro examine magisterii magistri: Marcus de Grecz, in vicecancellarium, et in examinatores, Michael de Malenicz, Simon de Tyssnow, Alexius de Pekarí, et *Procopius* de Plzna, et admiserunt subscriptos: Joannem de Grecz-reginae. Ulricus de Tyn Horssowiens, Hieronymus de Woykowitz, Joannes de Camancz, Petrus de Sepekow, Martinus de Wolyna, Joannes de Osselyn, Sigismundus de Gystebnicz. dd. Joannes de Agria. Joannes de Zluticz, Joannes *Oryent*, Joannes de Crumlow, Nicolaus de Zelenkamen. dd.

Joan. de Grecz-reginae incepit sub mag. Marco de Grecz 12. die mensis Martii.

Ulricus de Tyn sub mag, Simone de Rokyczano 4. die Martii.

Joan. Camancz sub mag. Simone de Tyssnow 14. die mensis Februarii.

Joan. de Osselyn sub mag. Marco de Grecz 17. die Martii.

Joan. Orient sub mag. Marco de Grecz 13. die Martii.

Joan. de Crumlow sub mag. Joan. Hus 19. (*forsan* 29. ?) die mensis Februarii, quoniam tunc fuit bissextilis.

Joan. de Agria sub mag. Simone de Tyssnow 15. die mensis Martii.

Martinus de Wolyna sub mag. Stephano de Broda 17. die mensis Aprilis.

Item eodem anno circa quatuor tempora post diem Cinerum fuerunt examinatores electi magistri: Michael de Malenicz, Petrus de Policz, Alexius de Pekari et Nicolaus de Mileczyn, et admiserunt ad gradum baccalariatus infra scriptos et secundum hunc ordinem: Bernardus de Grecz-reginae, Henricus de Kozlow, Joannes de Sobieslauia, Nicolaus de Kalis. dd. Mathias de Hnatuycz. Paulus de Nova-domo, Mauritius de Rokyczano, Michael de Krisio, Nicolaus de Poznonio, Jacobus de Czeczyczoff. dd. Marcus de Czechanow. Nicolaus de Znoyma. d.

Bernardus de Grecz det. sub mag. Marco de Grecz 12. die mensis Martii.

Mathias de Hnatnycz sub mag. Martino de Praga 5. die Martii.

Jacobus de Czecziczoff, et Marcus de Czechanow sub mag. Alexio de Pekari 10. die mensis Martii.

Decanatus mag. Briccii de Zacz.

Anno Domini 1412. die 16. mensis Aprilis ego Briccius de Zacz, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi ac promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt collectores mgri: Styborius de Velvaro, Thomas de Lyssa.

Item assessores: mag. Petrus Polycz, mag. Procopius de Cladrub.

Item eodem anno in dominica Rogationum Petrus de Sepekow, licentiatus in artibus, incepit in eisdem, et Joan. de Sobieslauia ad gradum baccalariatus est susceptus sub mag. Nicolao de Miliczyn.

Item eodem anno fuerunt electi examinatores baccalariorum: mag. Joannes de Naussedlycz, Laurentius de Nimburga, Elias de Tyn, Alexius de Peczkari.

Circa quatuor tempora post pentecosten sunt admissi duo infra scripti ad examen: Swoyssye de Frymburg. Sigismundus de Glatovia. d. 20 gr.

Item eodem anno fuerunt electi examinatores mgri: Procopius de Kladrub, Wenceslaus de Myrowecz, Wenceslaus de Verona, Alexius de Pezkari.

Circa quatuor tempora ante festum s. Wenceslai admissi sunt ad examen infra scripti: Jacobus de Brost. Stanislaus de Nidicze. Nicolaus de Borow.

Decanatus mag. Procopii de Cladrub.

Anno Domini 1412. die 15. mensis Octobris ego Procopius de Cladrub, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt collectores: mag. Gregorius Leonis de Praga, et mag. Wenceslaus Myrowetz.

Item eodem die electi fuerunt assessores: mag. Styborius de Weluar, et mag. Thomas de Lyssa.

Item die eodem electi fuerunt dispensatores librorum: mag. Briccius de Zacz, mag. Alexius de Peckari, mag. Laurentius de Nymburga, mag. Przech de Branycz.

Item Swoysse de Frymburg det. sub mag. Cristano de Prachaticz die 16. mensis Octobris.

Anno, quo supra, existentibus examinatoribus per facultatem electis pro examine baccalariatus, quod solet fieri in quatuor temporibus ante festum nativitatis Christi: decano facultatis supra scripto, mag. Cztiborio de Welwar, mag. Thoma de Lyssa, mag. Alexio de Pekary, mag. Nicolao de Pawlikow admissi fuerunt ad gradum baccalariatus infra scripti secundum hunc ordinem: Nicolaus de Brumowycz, Martinus de Bozkowycz, Joannes de Mssenow. dd.

Item 1. die mensis Januarii dett. sub mag. Christano Nicolaus de Brumowycz et Joan. de Mssenow.

Item 3. die mensis ejusdem Nicolaus de Zelenkamen, licentiatus in artibus, incepit in eisdem sub mag. Alexio de Pekary.

Item 19. die mensis supra scripti Martinus de Bozkowycz det. sub mag. Procopio de Cladrub.

Sub mag. Petro de Sepekow die 8. mensis Decembris Stanislaus de Rudicze gradum baccalariatus suscepit.

Anno Domini 1413. post nativitatem Domini dati fuerunt mgri per cancellarium universitatis pro examine magistrandorum: mag. Sulko de Hostzka, doctor in medicinis, pro vicecancellario cum his magistris, videlicet, mag. Jacobo de Sobieslawya, mag. Alexio de Pekary, mag. Simone de Tyssnow, mag. Nicolao de Stoyczin, et fuerunt infra scripti admissi secundum hunc ordinem: Joannes de Przybram, Petrus de Benessow, Petrus de Wrbka, Benedictus de Serenio, dd.

Anno, quo supra, ad magistrum Procopium de Cladrub, decanum facultatis, circa quatuor tempora in Jejunio electi sunt quatuor mgri examinatores baccalariandorum: mag. Alexius de Peckary, mag. Procopius de Plzna, mag. Wenceslaus de Myrowycz, mag. Przyech de Branycz, et fuerunt admissi isti secundum hunc ordinem: Petrus de Slana, Joannes de Ylkus, Petrus de Warssowya, Jacobus de Plzna, Petrus de Sroda. dd.

Item ultima die mensis Martii Petrus de Slana det. sub mag. Thoma de Lyssa.

Item 12. die mensis Aprilis Petrus de Sroda det. sub. mag. Przyech de Branycz.

Decanatus mag. Jacobi de Sobyeslauia.

Anno Domini 1413. 18. die mensis Aprilis ego Jacobus de Sobieslauia, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa a mgris praesentibus tunc recepi secundum statuta ejusdem universitatis.

Eodem die electi fuerunt collectores: mag. Procopius de Cladrub, mag. Procopius de Plzna.

Eodem die electi fuerunt assessores: mag. Briccius de Zacz, mag. Joan. de Naussedlicz.

Item eodem die electi fuerunt dispensatores librorum: mag. Nicolaus Stoyczyn, mag. Hieronymus de Waykowicz, mag. Elias de Tyn Horssow, mag. Nicolaus de Desna.

Item 16. die mensis Maji mag. Benedictus de de Serenio petivit dispensationem bienii et indulsit sibi facultas et concessit.

Item 25. die mensis Maji Petrus de Warsouia det. sub mag. Alexio de Peccarii.

24. die mensis Maji Jacobus de Plzna det. sub mag. Procopio de Plzna.

Praeterea 27. die mensis Maji mag. Joan. de

Nausedlicz petivit dispensationem pro mag. Elia Martini sacrae theol. baccalarii formati tunc absentis (*sic*), et indulsit sibi facultas.

Circa festum pentecostes in 4 temporibus 14. die mensis Junii, aperto examine pro gradu baccalariatus in artibus, nullus venit ad intitulandum, et non fuit examen praemissum et apertum.

Facta congregatione magistrorum eodem die et hora praemissis nullus obtulit se libere ad acceptandum disputationem de Quolibet.

Item 17. die Junii mensis secundum statuta electus fuit in quodlibetarium mag. Simon de Tyssnow, sacrae theologiae baccalarius.

Item 16. die mensis Augusti Joan. Ilcuss det. sub mag. Petro Wrbka.

25. die Augusti mensis Petrus de Warsouia, baccalarius in artibus, recepit dispensationem pro biennio complendo.

Item 16. die mensis Septembris pro examine, quod solet fieri in 4 temporibus ante festum s. Wenceslai martyris fuerunt electi examinatores baccalariandorum: mag. Alexius de Peccari, mag. Stephanus de Broda, mag. Borzywogius de Praga, mag. Petrus de Sepekow, et fuerunt infra scripti admissi secundum hunc ordinem: Mathias de Hostuna, Dionysius Emerici de Roycza, Andreas de Myslyborzicz, Martinus de Kamenycz, Gregorius de Hostka. dd.

Item 25. die mensis Septembris Mathias de Hostuna det. sub mag. Joanne de Borotyn.

Item Martinus de Kamenicz et Gregorius de Hostka dett. sub mag. Procopio de Plzna 2. die mensis Octobris.

Decanatus mag. Stiborii de Welwar.

Anno Domini 1413. ego Stiborius de Welwar, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis 14. die mensis Octobris secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Eodem die electi fuerunt collectores: mag. Thomas de Lyssa et mag. Joan. Grecz.

Eodem die electi fuerunt assessores: mag. Petrus Konyeprus et mag. Procopius de Cladrub.

Item eodem die electi fuerunt dispensatores librorum: mag. Simon de Rokyczano, mag. Stephanus de Boh. Broda, mag. Przyech de Branycz, mag. Borzywogius de Praga.

Item 4. die mensis Decembris Dionysius Emerici de Roycza det. sub mag. Jacobo de Sobieslauia.

Item 15. die mensis Decembris pro examine, quod solet fieri in quatuor temporibus ante festum nativitatis Christi, fuerunt electi examinatores baccalariandorum: mag. Thomas de Lyssa, mag. Nicolaus Stoyczin, mag. Przyech de Branicz, mag. Joan. de Zlutycz, et admiserunt infra scriptos secundum hunc ordinem: Stephanus Alexandri de

Sossnyeszowycz. Albertus de Zluticz. Joan. Plach de Znoyma. d.

Item eodem die mag. Prziech obtinuit reservationem loci Andreae de Misliboricz ex certis causis usque ad proximum examen.

Item 8. die mensis Januarii conclusum fuit per facultatem, quod disputatio de Quolibet, quam tenere debet mag. Simon de Tyssnow, ultra consuetum tempus ex causis differatur; postea autem in sequenti convocatione domini rectoris tempus fuit assignatum ac conclusum post festum s. Georgii.

Item in vigilia epiphaniae in plena congregatione facultatis quaesitum fuit, an examen magistrandorum aperiri debeat, et an examinatores eorundem a domino cancellario peti debeant; et conclusum fuit per majorem partem de quaerendo, an aliqui sint, qui vellent intrare examen magistrandorum.

Item quaesitis et non inventis 8. die mensis Januarii in plena congregatione facultatis conclusum est, quod non petantur examinatores, et sic dimissum est examen magistrandorum.

Item 24. die mensis Januarii Albertus de Zluticz det. sub mag. Joanne de Zluticz et bursam 20 grossorum dedit.

Item Stephanus Alexandri de Sossnyessowicz 30. die mensis Januarii det. sub mag. Antonio de Luna, tunc rectore, et bursam 20 grossorum dedit.

Item eodem die promotus fuit in baccalarium medicinae sub mag. Joanne Sewo de Monte-leonum.

Item 27. die mensis Februarii Andreas de Mysliborziz det. sub mag. Petro de Sepekow.

Item examen baccalariandorum, quod solet fieri in quatuor temporibus Jejunii, aperto eo et nullo veniente, dimissum est.

Item in congregatione domini rectoris, dominus rector petivit a facultate concedi sibi aliquam summam pecuniae ex parte universitatis ad solvendum notario universitatis, quod facultas tunc per pluralitatem vocum concludens dixit concedendum.

Item mag. Laurentius de Nymburga petivit se assumi ad concilium facultatis; interrogatus de his ad haec pertinentibus, juravit singula se impleturum.

Item mag. Joannes de Werona, et mag. Nicocolaus Stogyczyn, et mag. Stephanus de Broda petierunt se assumi ad concilium facultatis, interrogati, facienda fecerunt et juraverunt, et admissi sunt.

Decanatus mag. Joannis de Werona.

Anno Domini 1414. die 22. mensis Aprilis ego Joan. de Verona, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die in convocatione facultatis electi sunt in dispensatores librorum mgri: Joannes de Borotin, Nicolaus de Rezeczicz, Elias de Tyn Horssowiensi, Petrus de Dobrzechow.

Item eodem die electi fuerunt collectores mgri: Laurentius de Nimburga et Simon de Rokyczano.

Item die eodem electi fuerunt assessores: mag. Stiborius de Velnaro et mag. Stephanus de Broda boëmicali.

Item eodem anno, quo supra, in quatuor temporibus, quod solet fieri post festum pentecostes, aperto examine pro gradu baccalariatus nullus venit ad intitulandum, et ob hoc erat dimissum,

Item anno, quo supra, die 17. mensis Junii facta plena congregatione magistrorum, si quis vellet se offerre disputaturum de Quolibet, *nullus* se obtulit libere ad acceptandum disputationem de Quolibet; sed juxta majorem partem mgrorum consensum, conclusum fuit, ut in vigilia s. Joan. Baptistae fiat convocatio ad eligendum disputaturum de Quolibet, aut ad ratificandum electionem prius factam de mag. Simone de Tysnow, qui debebat tenuisse disputationem praedictam de anno praeterito.

Item anno, quo supra, in vigilia s. Joan. Baptistae facta plena congregatione mgrorum ad eligendum disputaturum de Quolibet juxta statuta facultatis mag. Simon de Tyssnow electus et reelectus est in quodlibetarium, et a priori electione de ipso facta de anno praeterito recedere noluerunt, sed eandem omnino approbaverunt.

Item anno, quo supra, 15. die mensis Septembris, aperto examine pro gradu baccalariatus, nullus venit ad intitulandum, et ideo pro illa vice examen erat omissum.

Decanatus mag Procopii de Plzna.

Anno Domini 1414. die 13. mensis Octobris ego Procopius de Plzna, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt collectores, assessores, et dispensatores, ex nominibus iidem penitus, qui electi fuerant statim in praecedenti decanatu, eo quod propter examinandorum absentiam sua officia non exercuerunt.

Item anno eodem, tempore decanatus supra dicto, in quatuor temporibus ante nativitatem Domini electi fuerunt examinatores baccalariandorum isti quatuor: mag. Thomas de Lysa, mag. Michael de Malenicz, mag. Alexius de Pekari et mag. Martinus de Wolyna, qui cum praedicto decano infra scriptos ad gradum baccalariatus admiserunt facto examine eorumdem: Nicolaus de Manyetyna, Jacobus de Hradecz-reginae, Mathias de Hradecreginae, Laurentius de Samotuly, Nicolaus de Thamassida, Rudolphus de Czaudicz, Matthaeus Divitis de Storkow. dd. Michael de Ratybor, petivit dilationem bursae.

Item ante proxima futura quatuor tempora praedicti baccalariandi determinaverunt sub mgris infra scriptis.

Sub mag. Procopio de Plzna, tunc decano, Nicolaus de Manyetyna et Rudolphus de Czaudicz, quaestiones determinantes, ad gradum baccalariatus sunt promoti.

Sub mag. Simone de Rockyczano Jacobus et Mathias de Hradecz-reginae, et Matthaeus de Sstorkow determinaverunt.

Sub mag. Alexio de Pekary Laurentius de Samotuli determinavit.

Sub mag. Petro de Sepekow Nicolaus de Thamassida determinavit.

Sub mag. Petro de Wrbka Michael de Ratybor determinavit.

Item Michael de Ratybor petivit dimissionem bursae facultatis, et in testimonium suae paupertatis adduxit mag. Petrum de Wrbka et Nicolaum de Thamassida, baccalarium.

Item mag. Nicolaus de Pawlikow post facta facienda susceptus est ad concilium facultatis.

Item anno eodem in quatuor temporibus post diem Cinerum electi fuerunt examinatores baccalariandorum isti quatuor: mag. Simon de Tyssnow, mag. Wenceslaus de Mirowicz, mag. Alexius de Pekari et mag. Antonius de Luna, qui cum decano praenotato infra scriptos ad gradum baccalariatus admiserunt: Thomas de Bydzzowia, Georgius de Byela, Nicolaus de Paznath, Nicolaus de Plzna. dd.

Sub mag. Simone de Tyssnow in Quadragesima Nicolaus de Paznath ad gradum baccalariatus est promotus.

Item anno eodem per Conradum, pro tunc archiepiscopum et universitatis cancellarium, post festum nativitatis Christi examen magistrandorum non fuit admissum, sed primo in Quadragesima est apertum; et deputati fuerunt pro examinatoribus per dictum cancellarium: mag. Antonius de Luna, qui datus est pro vicecancellario, mag. Thomas de Lyssa, mag. Wenceslaus de Mirowicz, mag. Laurentius de Nimburga, et mag. Alexius de Pekari, qui facto examine infra scriptos ad gradum magisterii veluti idoneos admiserunt: Dominicus de Praga, Petrus de Hradecz-reginae, Briccius de Buda, Joannes de Tyn Horssowiensi, Joannes de Byela. dd.

Item praedicti magistrandi de voluntate cancellarii a mag. Antonio de Luna veluti a vicecancellario acceperunt licentiam in artibus incipiendi.

Sub mag. Simone de Rockyczana die 9. mensis Aprilis Joannes de Byela incepit in artibus, et ad gradum magisterii est promotus.

Sub mag. Antonio de Luna die 21. mensis Aprilis Briccius de Buda, incipiendo in artibus, ad gradum magisterii est promotus.

Item anno eodem die . . . . facultas artium mutuavit universitati decem sexagenas grossorum pro ambasiatoribus universitatis, scilicet dno. Joanne de Chlum, milite strenuo, et mag. Joanne dicto Cardinalis de Reyssteyn, pro propina et honorantia facienda, qui tunc erant in generali concilio Constantiensi procuratores et ambasiatores universitatis constituti ab ipsa universitate.

(Sequens apocha propria verisimiliter rectoris manu inserta ad pag. 433. pertinet.)

Ego Briccius de Buda, liberalium artium mag. tunc rector universitatis studii Pragensis, fateor, me recepisse in mutuo dimidiam quartam sexagenam grossorum argenteorum Pragensium a facultate artium praedictae universitatis; unde promitto bona fide sine dolo, eandem pecuniam praedictae facultati reddere et solvere plenarie et in toto, si et quum ad fortunam devenero pinguiorem, hic vel alias ubicumque. Scripta manu mea propria. Anno Domini 1415. sub decanatu mag. Joan. de Borotin.

Decanatus mag. Joannis de Borotyn.

Anno Domini 1415. die 21. mensis Aprilis ego Joannes de Borothyn, liberalium artium mag. electus in decanum facultatis artium almae universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, juravi et promisi eidem officio fideliter praesidere, et promissa a mgris tunc pro electione in stuba facultatis collegii Caroli congregatis recepi secundum statuta ejusdem facultatis manu cujuslibet stipulata.

Eodem die electi sunt dispensatores librorum magistri infra scripti: Laurentius de Nymburka, Wenceslaus de Myrowycz, Stephanus de Broda, Nicolaus de Pawlicow.

Item collectores infra scripti magistri: Procopius de Plzna, Joannes de Przybram dictus Knyez.

Item assessores subscripti magistri: Alexius de Pekari, Petrus de Wrbka.

Sub mag. Petro de Dobrzyechow Thomas de Bidzowia et Nicolaus de Plzna dett. in artibus die 15. mensis Maji.

Mag. Nicolaus de Rzieczicz intravit de novo concilium facultatis et promisit obedientiam decano facultatis secundum formam statuti super hoc editi.

Item eodem anno pro examine ad gradum baccalariatus, quod solet fieri circa quatuor tempora post pentecostis deputati sunt 4 mgri ad decanum per facultatem artium: mag. Petrus de Dobriechow, mag. Borzywogius de Praga, mag. Nicolaus de Rzieczicz, mag. Alexius de Pekari, qui quidem examinatores admiserunt infra scriptos: Joannem de Zilina. d. Martinum de Kalyss.

Sub mag. Joanne de Przibram 23. mensis Maji Georgius de Biela det. in artibus.

Die 6. Junii Matthias de Hnaticz petivit literam recognitionis, et data est sibi juxta statutum.

Item anno eodem die 1. Julii ad petitionem universitatis facultas artium concessit eidem universitati quinque sexagenas grossorum cum tribus grossis pro subsidio rectoris, pro pallio 3½ sexagenas grossorum, pro notario universitatis 45 grossos et residuum pro judice, quas quidem 3½ sexagenas grossorum dns. rector promisit sine dolo solvere facultati, si unquam ad pinguiorem fortunam eum contingeret pervenire, ut in quadem nota de manu sua facta ante in isto folio continetur plenius; petiverat quippe dominus rector universitatem pro subsidio pallii sibi exhibendo, productis

quibusdam causis damni rationabilibus, ex spolio in via sibi occasione rectoratus illatis.

Sabbato in vigilia s. Joan. Baptistae facta convocatione magistrorum pro habendo disputatione de Quolibet conclusum est nullo contradicente, ut mag. Simon de Tyssnow, qui in anno praecedenti electus fuerat ad disputandum de Quolibet, in hac vero convocatione ad electionem praecedentem approbatus requiratur, nomine facultatis per decanum, ut anno Domini 1416. disputet de Quolibet secundum, quod se obligaverat facultati; qui quidem 26. die mensis Septembris ad disputandum de Quolibet se submisit anno Domini 1416.

Martinus de Kaliss petivit dilationem bursae, et in testimonium suae paupertatis recepit mag. Alexium de Pekari et Nicolaum, baccalarium, et data est sibi dilatio juxta statuta.

Die 23. mensis Septembris Dominicus de Praga recepit insignia magistralia sub mag. Wenceslao de Myrowicz.

Die 18. Septembris Martinus de Kaliss det. in artibus sub mag. Alexio de Pekari.

Pro examine ad gradum baccalariatus circa quatuor tempora autumnalia deputati sunt 4 mgri per facultatem ad decanum infra scripti: mag. Thomas de Lissa, mag. Laurentius de Nymburga, mag. Stephanus de Broda, mag. Joannes Knyez de Przibram, et admiserunt infra scriptos secundum hunc ordinem: Joannes Dupowczonis de Praga, Joannes de Hradecz, Joannes de Rockyczano,

Wenceslaus de Drachow, Joannes de Bezdiekow de Bethleem, Wenceslaus de Prachaticz, Philippus de Olomucz, Joannes de Bezdiekow Plznens., Simon de Sacz, Andreas de Normberga, Benedictus de Hradyst. dd.

Dispensatum est cum tribus ex praedictis, cum Joanne de Bezdiekow, cum duobus ultimis libris physicorum, cum Andrea de Normberga cum ultimis libris physicorum, cum Philippo de Olomucz cum tribus ultimis physicorum, ex causis rationabilibus allegatis, sic tamen, ut statim post examen audiant publice libros supra scriptos juxta statuta, si habuerint lectorem, et perficiant auditionem ante determinationem.

In vigilia s. Wenceslai in locatione praedictorum facta est discordia inter examinatores; nam inductione facta per decanum pro uno, duo examinatores dederant ei vocem, duo alteri non, ita quod decanus accedens ad unam partem conclusit pro uno; propter quod duo examinatores non contenti locare residuos noluerunt. Facta igitur convocatione facultatis, an conclusio decani stare deberet, vel moveri, conclusum est nullo contradicente et approbatum, quod hujusmodi conclusio justa esset, et quod deinceps interpretes aequales, cui se parti decanus adjunxerit, illa tamquam major pars habeatur, cum decanus etiam vocem habeat, et secundum illam concludatur.

Die 9. Octobris Simon de Zatecz det. sub Laurentio de Nymburga.

Sub mag. Briccio de Buda Joan. de Zilina det. mense Junii (*sic*).

Decanatus mag. Nicolai de Rzeczicz.

Anno Domini 1415. die ... mensis Octobris ego Nicolaus de Rzeczicz, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, et promisi ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem fasultatis.

Eodem die electi fuerunt dispensatores librorum mgri infra scripti: mag. Stiborius de Weluar, mag. Alexius de Pekari, mag. Nicolaus de Miliczin, mag. Procopius de Plzna.

Assessores: mag. Joan. de Przibram, mag. Dominicus de Praga.

Sub mag. Joan. de Przibram Joan. Dubowczonis de Praga, Philipus de Olomucz, Benedictus de Hradist determinaverunt.

Sub mag. Christanno de Prachaticz Joan. de Rokyczana, Wenceslaus de Drachow, Joan. de Bezdyecow, Wenceslaus de Prachatiz determinantes gradum baccalariatus acceperunt.

Sub mag. Procopio de Plzna Joan. de Hradecz determinavit.

Sub mag. Joanne de Przibram die 11. mensis Februarii Petrus de Hradecz-reginae incepit in artibus, et ad gradum magisterii est promotus.

Sub mag. Joanne de Byela Joannes de

Bezdyecow Plznensis, et Andreas de Nuremberga determinaverunt.

Sub mag. Simone de Rokycano Joannes de Tyn, licentiatus in artibus, incepit in eisdem, et insignia magistralia recepit.

Item in quatuor temporibus ante nativitatem Christi, examine aperto pro baccalariandis, nullus venit ad intitulandum, et fuit omissum.

Item dns. archiepiscopus Pragensis, cancellarius almae universitatis studii Pragensis, ad petitionem decani supra scripti, et quatuor magistrorum per facultatem deputatorum aperuit examen magistrandorum consuetum fieri post disputationem de Quolibet, quam tenuit et continuavit mag. Simon de Tyssnow etc. dati fuerunt pro tunc examinatores magistrandorum, iste primus, videlicet decanus supra scriptus pro vicecancellario, mag. Przybislaus, mag. Petrus Stiborius de Veluaro, mag. Wenceslaus de Mirowicz, mag. Laurentius de Nymburga, et admiserunt infra scriptos secundum hunc ordinem: Petrus de Mladonowicz, Augustinus de Glatouia, Mathias de Pobyezowicz, Buzko de Gdyna, Mathias de Solio. dd.

Anno Domini, quo supra, in quatuor temporibus post diem Cinerum electi fuerunt examinatores baccalariandorum: mag. Joan. de Rzyst, mag. Gallus de Uteri, Alexius de Pekari, Mathias de Bydzow, qui istos duos admiserunt: Wenceslaus de Praga, Marti-

nus de Naezeracz. det. sub mag. de Volina, Wenceslaus de Praga det. sub mag. Petro de Sepekow. dd.

In decanatu mag. Nicolai de Rzeczicz infra scripti magistri petiverunt se assumi ad concilia facultatis: mag. Hieronymus de Woycowicz, mag. Petrus de Sepekow, mag. Martinus de Volina, et promiserunt obedientiam decano praedicto et suis successoribus secundum formam statuti super hoc editi, et assumti sunt sine contradictione.

Sub mag. Nicolao de Rzeczicz pro tunc decano Petrus de Mladonowicz, licentiatus in artibus, incepit in eisdem 27. die mensis Martii etc.

Sub mag. Petro de Sepekow *Wenceslaus de Praga* det. ad gradum baccalariatus in artibus.

Sub mag. Martino de Volina Martinus de Naczeracz det. ad gradum baccalariatus.

In congregatione universitatis dns. rector, mag. Thomas de Lyssa, petivit sibi concedi de fisco facultatis tres sexagenas grossorum, ut solvat judici praetorii et notario, et facultas conclusit concedendum, et praefata est eidem rectori concessa. In signum hujus reliquit cedulam propria manu scriptam in cista facultatis.

Decanatus mag. Simonis de Rokyczana.

Anno Domini 1416. die 15. mensis Aprilis ego Simon de Rokyczana, mag in artibus liberalibus, et canonicus capellae regis omnium Sanctorum in ecclesia Pragensi, electus fui in decanum facultatis

artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum cursum statutorum ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt dispensatores librorum magistri infra scripti: Joan. de Borotin, Petrus de Sepekow, Nicolaus de Rzieczicz, Martinus de Wolyna.

Item assessores infra scripti mgri: Mathias de Bidzow, et Laurentius de Nymburga.

Item collectores isti mgri: Gallus de Vtery, Joan. de Biela.

Item 22. die mensis Aprilis Buzko de Gdyna, licentiatus in artibus, promotus ad gradum magisterii incepit in eisdem sub mag. Martino de Wolyna, et gradum magisterii tunc suscepit.

Item Mathias de Pobiezowicz, licentiatus in artibus, gradum magisterii est adeptus sub mag. Nicolao de Miliczin 4. die mensis Maji.

Item anno, ut supra, die 4. mensis Maji facta plena congregatione magistrorum facultatis artium Paulus de Crawar, universitatis Parisiensis magister, et baccalarius medicinae universitatis Montis Pessulani, susceptus est ad gremium mgrorum dictae facultatis studii Pragensis post determinatam quaestionem sub mag. Procopio de Plzna, et ad alia facienda juxta statuta dictae facultatis liberrime se submisit, et sufficienter docuit, se esse magistrum studii universitatis Parisiensis, et similiter baccalarium in medicinis studii universitatis Montis Pessu

lani, et adeo secundum gradus processisse secundum ritum et consuetudinem dictarum universitatum, exhibuitque literas authenticas cum sigillis pendentibus circa praemissa.

Item dedit 40 grossos pro bursa consueta.

Item anno, quo supra, die 21. mensis Junii facta plena congregatione magistrorum sub hoc tenore: Reverende magister! sitis hodie hora 16. in stuba facultatis ad eligendum quodlibetarium, seu de Quolibet in facultate artium disputaturum. Ex unanimi et concordi voce pene omnium magistrorum tunc praesentium electus *est venerabilis* mag. Procopius de Cladrub ad praemissum laborem pro bono universitatis assumendum.

Item anno, quo supra, in quatuor temporibus ante festum s. Wenceslai pro examinatoribus baccalariandorum a facultate fuerunt electi infra scripti, et decano adjuncti, scil. mag. Nicolaus de Milyczin, mag. Mathias de Bidzow, mag. *Petrus de* Sepekow, mag. Joan. de Przibram, qui ad gradum baccalariatus admiserunt infra scriptos: Wenceslaus de Zatecz, Joan. Baptista de Budyna, Mathias de Gehniedno, Petrus de Vgezd, Nicolaus de Calmanczech. dd. Ulricus de Znoyma.

Sub mag. Simone de Rokyczana Wenceslaus de Zatecz est gradum baccalariatus assecutus feria 4. post festum s. Francisci anno Domini 1416.

Item Joannes Baptista de Budyna det. ad gradum baccalariatus sub mag. Joanne de Przibram anno, quo supra.

Item Mathias de Gehniedno et Nicolaus de Calmanczicch receperunt gradum baccalariatus sub mag. Nicolao de Milyczin feria secunda post Francisci, anno, ut supra.

Item Ulricus de Znoyma recepit gradum baccalariatus dominico die in festo scilicet ss. Cosmae et Damiani sub mag. Mathia de Pobiezowicz.

In decanatu mag. Nicolai de Pawlikow.

Anno Domini 1416. die 10. mensis Octobris electus fuit in decanum facultatis artium mag. Martinus Cunssonis de Praga, qui postea die 15. ejusdem mensis in congregatione magistrorum ejusdem facultatis ex causis quibusdam ab officio decanatus se absolvi petivit et postulavit; et cum absolveretur, tunc in eadem congregatione anno et die, quibus supra, ego Nicolaus de Pawlikow, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, et jurando promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item anno, quo supra, die autem 17. mensis Octobris electi fuerunt collectores: mag. Procopius de Plzna et mag. Simon de Rokyczano.

Assessores vero: mag. Wenceslaus de Myrowicz et mag. Joan. de Przibram; demum electi fuerunt dispensatores quatuor: mag. Cztiborius de Veluaro, mag. Alexius de Pekkari, mag. Dominicus et mag. Petrus de Grecz.

Item anno eodem, sabbato in quatuor temporibus post Luciae apertum fuit examen pro gradu baccalariatus, et quia solum venerat unus, ideo examen dimissum est pro illa vice.

Item anno eodem, die 15. mensis Januarii feci congregationem facultatis, in qua congregatione deputati sunt mihi quatuor mgri et adjuncti, ad visitandum mecum vicecancellarium, et ad hortandum pro apertura examinis magistrandorum, et quatenus juxta tenorem bullae datae in erectione universitatis non alios, nisi actu regentes mgros de facultate artium eligat atque locet in examinatores magistrandorum; quem cum visitassem cum mgris mihi adjunctis quatuor, scilicet: mag. Przibislao de Jessenicz, mag. Joanne Rrzysst, mag. Thoma de Lyssa et mag. Nicolao de Stoyczin, respondit, quod magistrorum adhortationem de apertura examinis magistrandorum vellet prius insinuare dno. archiepiscopo, cancellario nostrae universitatis, et deinde respondere facultati. Postea, die 20. mensis ejusdem, respondit se habere a dno. archiepiscopo in mandatis, quod nullo modo examen magistrandorum aperiat, nisi de speciali domini voluntate et consensu; quod cum retulissem facultati, ex consensu facultatis pro apertura examinis magistrandorum ad ipsummet dom. archiepiscopum laboravi nuntium cum litera facultatis et cum secreto dni. regis ad ipsum in Rudniez super praemissis dirigendo, qui per nuntium verbotenus respondit, quod ipsum magistrandorum exa-

men nollet pro illa vice aperire; causas vero hujus rei, quod ipse per se vellet dno. regi exponere et revelare; unde tempore mei decanatus non fuit examen magistrandorum.

Item anno eodem, in mense Februario, sabbato die post Scholasticae mag. Petrus Payne Oxoniensis universitatis magister, postquam expedivisset actus suos juxta statuta facultatis, videlicet, quaestionem sub mag. Christanno tunc per facultatem sibi deputato determinando, et mgris tunc praesentibus respondendo, et alios actus, quos juxta statuta nostrae facultatis explere item debuerat, adimplendo; docuissetque testibus fide dignis sufficienter, se esse mgrum studii universitatis Oxoniensis, assumtus est in gremium et consortium mgrorum nostrae universitatis secundum statuta. Idem mag. Petrus dedit 36 grossos pro bursa.

Item Augustinus de Glatowia, licentiatus in artibus, gradum magisterii est adeptus sub mag. Zdislao de Zwierzeticz.

Item sabbato in quatuor temporibus in Quadragesima apertum fuit examen baccalariandorum in artibus, et quia nullus venerat, ideo dimissum erat examen.

Item in dominica Reminiscere mag. Joan. de Zluticz, cum secundum statuta promisisset obedientiam facultati, assumtus est in concilium facultatis.

Decanatus mag. Laurentii de Nimburga.

Anno Domini 1417. die 17. mensis Aprilis ego Laurentius de Nimburga, mag. in artibus, electus fui in decanum facultatis artium almae universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; juravi et promisi, ac promissa tunc a magistris praesentibus suscepi juxta statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die reelecti sunt in collectores: mag. Procopius de Plzna et Simon de Rokiczana.

Item in assessores mgri: Wenceslaus de Myrowycz et Joannes de Przybram.

Item in dispensatores mgri: Stiborius de Velwaro, Alexius de Pekari, Dominicus de Praga et Petrus de Grecz-reginae.

Item anno eodem 4. feria post pentecosten apertum fuit examen pro gradu baccalariatus in artibus; sed quia nullus comparuit, pro hac vice omissum est.

Item anno eodem sabbato proximo ante festum s. Joannis Baptistae facta congregatione mgrorum sub hac forma: Mag. reverende! sitis hodie hora 17. in stuba facultatis ad eligendum, si fieri debet, disputaturum de Quolibet in artibus sub poena non contradicendi; unanimiter atque concorditer electus est reverendus mag. Joan. de Rzysst ad disputandum de Quolibet in artibus juxta statuta.

Item anno eodem, quatuor temporibus ante

festum s. Wenceslai per facultatem electi et deputati sunt pro examine baccalariandorum ad decanum quatuor mgri: Alexius de Pekary, Wenceslaus de Mirowicz, Petrus de Sepecow et Dominicus de Praga, et admiserunt istos secundum hunc ordinem: Michael de Thordas, Florianus de Straconicz, Martinus de Giranowicz. dd.

Item anno eodem, die 27. mensis Septembris Florian. de Straconicz, et Martinus de Giranowycz dett. sub mag. Martino de Wolina.

Item eodem anno tertia die mensis Octobris Michael de Thordas det. sub mag. Laurentio de Nimburga.

Decanatus mag. Wenceslai Myrowecz.

Anno Domini 1417. sabbato in festo Dionysii, et fuit dies 9. mensis Octobris, ego Wenceslaus Myrowecz, liberalium artium mag. almae universitatis studii Pragensis, electus fui in decanum facultatis artium; promisi ac promissa a mgris tunc praesentibus suscepi secundum formam statutorum ejusdem facultatis desuper confectorum.

Item eodem anno, mense, die, quibus supra, electi fuerunt in collectores pecuniarum facultatis: mag. Symon de Tyssnow, mag. Petrus de Sepekow.

Item eodem tempore, quo supra, electi sunt assessores pro audiendo computo facultatis mgri: Mathias de Bydzowya, Laurentius de Nymburga.

Item similiter eodem tempore electi fuerunt librorum et tractatuum dispensatores quatuor mgri: Alexius de Pekari, Joan. de Werona, Joannes de Biela, Buzko de Kdyna.

Item anno Domini, ut supra, electi sunt examinatores baccalariandorum undecima die mensis Decembris quatuor mgri: Nicolaus de Stoyczyn, pro tunc praepositus collegii Caroli, Simon de Rokyczana, Joan. de Borotyn, Petrus Payne, qui cum decano infra scriptos hoc ordine admiserunt: Sezema de Skryg, Procopius de Genecz, Nicolaus de Mothessicz, dd.

Item anno Domini 1418. examen magistrandorum solitum fieri post epiphaniam Domini per dominum cancellarium universitatis fuit impeditum, quamvis pro ipsius apertione magistri diligenter institissent.

Anno, ut supra, penultima die mensis Decembris mag. Joannes de Przybram receptus est ad concilium facultatis.

Item 18. die mensis Januarii mag. Nicolaus de Dessna assumtus est ad facultatem.

Item Sezema de Skryg 20. die mensis Januarii det. sub mag. Christano de Prachatycz.

Die 25. mensis Januarii Procopius de Genecz det. sub mag. Joanne de Przibram.

Et idem Procopius sabbato ante festum Dorotheae 5. die mensis Februarii obtinuit dispensationem portandi tabardum cum serico a facultate.

Item anno Domini, ut supra, 12. die mensis Februarii apertum fuit examen pro baccalariandis; sed aperto examine nullus examinandus comparuit, unde examen fuit omissum pro hac vice.

Item 9. die mensis Aprilis facultas dispensavit de biennio cum Nicolao de Czech et Michaele de Thordas; hoc tamen adjecto, quod praedictus Michael componat cum mag. Nicolao de Pawlikow de solutione pastus a tempore dispensationis usque festum s. Wenceslai.

Decanatus mag. Antonii de Luna.

Anno Domini 1418. die 16. mensis Aprilis ego Antonius de Luna, mag. in artibus, et baccalarius medicinae, electus fui in decanum facultatis artium almae universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum cursum statutorum ejusdem facultatis.

Eodem die electi fuerunt collectores: mag. Nicolaus de Pawlikow et mag. Alexius de Pekari.

Item assessores mgri infra scripti: Nicolaus de Dessna, Augustinus de Glatowia.

Item dispensatores librorum mgri subscripti: Simon de Rokiczana, Dominicus de Praga, Petrus de Hradecz, Mathias de Pobiezowicz.

Anno Domini, quo supra, feria 4. post pentecostis apertum fuit examen baccalariandorum; sed quia nullus comparuit, ideo examen fuit omissum.

Item anno, quo supra, die 17. mensis Septembris electi fuerunt examinatores baccalariandorum mgri: Procopius de Plzna, Alexius de Pekary, Petrus de Sepecow, Joannes de Biela et admiserunt infra scriptos: Paulus de Gyrzyczie, (*infra Gyrzicze*) Clemens de Rudnicz, Jacobus de Salenkamen, Joan. de Hermanni-civitate, Petrus de Hradisch. dd.

Sub mag. Petro de Sepekow Nicolaus de Motessicz gradum baccalariatus suscepit.

Decanatus mag. Petri de Sepekow.

Anno Domini 1418. die 8. mensis Octobris ego Petrus de Sepekow, mag. in artibus, fui electus in decanum facultatis artium studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum, me absente; electione autem in eodem die insinuata, ipsam suscepi ante solis occasum juxta statuta; et 10. die mensis Octobris convocatione facultatis artium facta juravi et promisi, ac promissa tunc a mgris praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item die, quo supra, electi fuerunt dispensatores librorum mgri infra scripti: mag. Stephanus de Broda Boemicali, mag. Nicolaus de Pawlykow, mag. Joannes de Biela, mag. Buzko de Gdyna.

Item assessores: mag. Nicolaus de Miliczin, mag. Antonius de Luna.

Item collectores: mag. Stiborius de Weluaro, mag. Nicolaus de Stoyczin.

Sub mag. Petro de Sepekow 20. die mensis Octobris Joannes de Hermanni-civitate gradum baccalariatus suscepit.

Sub mag. Christanno de Prachaticz 24. die mensis Octobris Clemens de Rudnicz gradum baccalariatus suscepit.

Sub mag. Petro de Sepekow 26. die mensis Octobris Jacobus de Salenkamen gradum baccalariatus est adeptus.

Sub mag. Petro de Grecz-reginae 1. die mensis Decembris Petrus de Grecz-reginae gradum baccalariatus suscepit.

Sub mag. Joanne de Biela Paulus de Gyrzicze 21. die mensis Februarii gradum baccalariatus suscepit.

Anno, quo supra, disputatio de Quolibet ex conclusione universitatis convocatae fuit ex quibusdam causis in illo anno omissa.

Item anno, quo supra, Conrado natione Theutonico et, ut dicitur, de Bestwalia oriundo, archiepiscopo Pragensi et cancellario universitatis studii Pragensis existente, una dierum ante Christi nativitatem universitate sub poena praestiti juramenti per decanum convocata tractatum fuit de apertione examinis magistrandorum, quod jam tribus annis praeteritis non fuerat admissum. Tandem fuerunt deputati et adjuncti decano mgri infra scripti: mag. Stiborius de Weluaro, mag. Gallus de Vteri,

mag. Nicolaus de Stoyczin, qui curam gerentes etiam cum aliis plurimis viris notabilibus apertionem examinis minime valuerunt obtinere, et sic etiam illo anno, jam quarto scilicet, non est apertum examen magistrandorum.

Item anno eodem in quatuor temporibus post diem Cinerum aperto examine pro baccalariandis electi fuerunt examinatores baccalariandorum quatuor mgri infra scripti: Stiborius de Weluaro, Joannes de Werona, Simon de Rokyczana, Mathias de Pobiezowicz, qui cum decano praedicto infra scriptos admiserunt ad gradum baccalariatus: Borzko de Nova-villa, Stephanus de Roycza. *dd.*

Item die secunda mensis Martii mag. Joannes de Biela post facta facienda juxta statutum susceptus est ad concilium facultatis.

Decanatus mag. Borziwogii de Praga.

Anno Domini 1419. die 12. mensis Aprilis ego Borziwogius dictus Borzek de Praga, mag. in artibus, fui in decanum facultatis artium electus universitatis studii Pragensis secundum formam statutorum super hoc confectorum; et promisi, ac promissa a mgris tunc praesentibus recepi secundum statuta ejusdem facultatis.

Item eodem die electi fuerunt in collectores: mag. Laurentius de Nimburga et mag. Antonius de Luna.

Item in assessores mgri: mag. Alexius et Stiborius de Welwar.

Item in dispensatores mgri: Petrus de Hradecz-reginae, Joan. Rzist, Wenceslaus de Rennburga, Augustinus de Glathowia.

Mag. Sobieslaus de Koznow intravit de novo concilium facultatis, et promisit obedientiam decano facultatis secundum formam statuti super hoc editi.

Item eodem anno, quo supra, Petrus de Hradisst, de novo baccalariandus, obtinuit sibi absentiam bienni a facultate artium.

Anno Domini, quo supra, feria 4. post pentecostis apertum fuit examen baccalariaudorum; sed quia nullus comparuit, ideo examen fuit pro illa vice omissum.

Item anno eodem, quo supra, proxima vigilia ante festum s. Joannis Baptistae facta convocatione mgrorum sub hac forma: Magister reverende! sitis hodie hora 17. in stuba facultatis, ad eligendum disputaturum de Quolibet in artibus, vel ad reeligendum prius electum, sub poena non contradicendi; ibidem conclusum est per mag. Borziwogium, natione Pragensem, dictum Borzek, pro tunc decanum facultatis artium, secundum pluralitatem vocum, quod isto anno medio nullus eligatur de novo; sed si debet fieri, disputandum de Quolibet proximo futuro anno, tunc mag. Joan. Rzist petatur ante duos menses, ut disputet de Quolibet; et si pro futuro proxime venturo anno non disputabit, amodo non

reeligatur ad ulterius disputandum de Quolibet. Haec facta est conclusio facultatis tempore et loco, quibus supra.

Item anno, quo supra, proximis quatuor temporibus ante festum Wenceslai omissum est examen baccalariandorum ex certis et rationabilibus causis.